VIVA CAMENA

VIVA CAMENA

LATINA HVIVS AETATIS CARMINA

COLLECTA ET EDITA AB

IOSEPHO EBERLE

CVM COMMENTARIOLO

IOSEPHI ET LINAE IJSEWIJN-JACOBS

‹DE LITTERIS LATINIS RECENTIORIBVS›

IN AEDIBVS ARTEMIDOS

TVRICI ET STVTTGARDIAE

MCMLXI

PRAEFATIO

Et nobis amoena
subridet Camena.

Cum auctor aliquot abhinc annis carmina sua Latina bibliopolae cuidam, ut ea imprimeret et ederet, obtulisset, ab eo verbis Persii satirici interrogatus est: ‹Quis leget haec?› Poeta quoque nescivit. Sed interea inopinatus illius libelli successus utrumque docuit numerum amicorum Latinitatis et Camenae multo maiorem esse, quam hic et ille putaverat. Qua re iusta esse puto, quae Theodorus Mommsen anno 1905 scripsit: ‹Communi ad levitatem educationi linguae Latinae scientiam diutissime resistere posse apparet.›

Attamen aliud est anthologiam poesis Latinae nostris temporibus componere. Editor, cum hoc munus aggredi auderet, certe non ignorabat singula mira capita sui ipsius similia ubique terrarum esse, quae nobili, sed obsoletae, ut videbatur, arti versus Latinos faciendi se dediderunt. Numquam autem credidit huius generis tot esse viros, quot appellationi eius ‹Ad Poetas Latinos›[1] responderunt. Epistolae ei allatae non solum facultatem anthologiam componendi dederunt, sed etiam copiam sigilla vehicularia colligendi fecerunt. Accepit enim ex omnibus paene terris, in quibus Latinitas colitur, tot carmina cuiusvis generis, argumenti formaeque, ut circuitus huic libro definitus ei necessitatem restrictissime deligendi imponeret.

Haec autem sunt verba appellationis nostrae: ‹Ab Helvetico quodam editore librorum invitatus ad libellum car-

[1] ‹Vita Latina› Avennionensi et ‹Palaestra Latina› Barcinonensi divulgata.

minum Latinorum huius aetatis componendum omnes appello poetas, ut me adiuvent. Grata sunt carmina cuiusvis argumenti, aut veteris aut novi, cuiusvis formae, aut metricae aut rhythmicae, si angustum utique modum non egrediuntur, qui singulis partibus in corpusculo circa centum paginas comprehente impositus est.

Laudandus atque cooperatione omnium dignus esse mihi videtur ille redemptor librorum his temporibus promptus ad tale opus privatis sumptibus edendum et pervulgandum. Quomodo humanitatis et cultus occidentalis unitas elegantius nobiliusque tali libello significari possit?

Omnes igitur haec legentes vel audientes poetas atque Latinitatis amicos rogo, ut aut propria carmina mittant aut poetas Latinos, quorum nomina operaque incepto nostro decori fore putant, nominent illi, qui iam nunc gratias maximas agens subscripsit ...›

Editor persuasum quidem habet se clarissimos poetas Latinos convocasse; neque vero fortuitas res in congerendis poetis multum valuisse infitiatur. Quotus quisque illorum, qui Camenae clam aut palam serviunt, appellationem nostram conspicatus est? Quot ei responderunt? Quot, qui nobis ignoti sunt, alicubi latent? Nonne docet proverbium Latinum: ‹Saepe summa ingenia in occulto latent?› Hoc me consolor, quod aditus ad secundam huius libri editionem omnibus ingeniis nondum notis patebit.

Regulae ab editore adhibendae ut totum genus carminum sacrorum excludere iubent, ita poemata auctorum iam non viventium, versus rebus nimis privatis dedicatos, translationes ex aliis sermonibus depromptas. Illico vero

editor confiteri debet se in suis regulis aliquoties peccasse. Cui rei lectorem indulturum et rationes probaturum esse puto:

Quis lectorum huius libri nomen nesciat Hermanni Weller, illius Musarum sacerdotis Tubingensis, cuius poemata in Certamine Hoeufftiano Amstelodamensi per multos annos innumeris aureis praemiis aut magnis laudibus ornata sunt? Weller noster, paucis abhinc annis mortuus, poesis Latinae Nestor fuit, praeterea popularis Suebicus atque mentor et amicus editoris. Nonne dignus est ille nobilissimus vir et poeta ingeniosissimus, cuius hoc quoque loco recorder? Res Iosephi Cochez, poetae Belgici, similiter se habet: certe nos decet Iosephi Ijsewijn-Jacobs olim professorem et ipsum mortuum hanc in illustrem societatem cooptare, qua re etiam Belgicae loculus in Parnaso nostro adsignatur.

Quod ad tertium peccatum pertinet, lector hunc librum in Helvetia editum esse consideret. Quae amoena et culta regio poetis Latinis his temporibus carere videtur – ‹Helvetia non cantat›, amicus Helveticus mihi dixit. Quo maiore gaudio imbutus nomen Petri Wiesmann, civis Confoederationis Helveticae, his paginis inserui, quod eius secundum Guilelmum Busch et Christianum Morgenstern translationes ingenio arteque haud paucis carminibus more scholastico factis praestant.

Quamquam secundum illas nostras regulas ab initio multa poemata recusare cogebar, restabat pars maior illorum, quorum quidque diligenter examinandum erat, si argumento, forma, circuitu responderet proposito nostro. Hoc autem propositum id spectabat, ut varietati, viriditati, perspicuitati et universi operis et singularium partium sa-

tisfieret. Ita nonnulla carmina cum his conditionibus non congruentia stilo rubro editoris oppressa sunt. Alia, quamquam satis idonea videbantur, tamen omissa sunt, quia, ne nimis multis similitudinibus aut repetitionibus lectores fatigarentur, periculum erat. Ideo lector caveat, ne nostrum thesaurum perfectione artificiali solum metiatur; inveniet scilicet permulta poemata praestantissima, quae se ipsos composuisse optimos et elegantissimos vates et antiquitatis et medii aevi non pudeat.

Hoc libro editor universalitatem Latinitatis demonstrare conatus est non solum varietate materiae, quae poetice tractata est, sed etiam diversitate nationum, e quibus poetae nostri orti sunt. Simulque manifestare studuit, quanta vis singulos homines et populos una voluntate sententiaque coniungendi Latinitati inesset. Sic eximio cum gaudio Romani Ciesiulevicz Dunensis vocem ex regione Baltica nobis advenientem exaudimus:

> Semper es Europae dignissima laude corona,
> nam populos omnes coniungis, lingua Latina!

Itaque editori semper deliberandum erat, quae carmina, dummodo cum arte aliquantum congruerent, ad has quoque propositiones apta essent. Ne igitur doleant fratres nostri in Vergilio, quod nomina eorum fortasse non eo modo, quem cupiunt, aut nullo modo producuntur ...

Quam multas ac varias res haec carmina amplectantur et celebrent, lector ex titulis ipsis poematum intelleget. Thesaurus noster pertinet ad vetera et nova, magna et exigua, seria et iocosa, privata et publica, profunda et nugalia. A rebus mythologicis et historicis usque ad harpasti ludum (‹football›, ut Angli dicunt), a reverentia priscae

Camenae tributa usque ad strepitum autocinetis effectum et ad discos illos sonantes, ab vetustissima, insanabili morbo amoris usque ad aquosam curam Kneippianam nihil deesse puto, neque ullum animi motum neque vitae statum esse opinor, quin speculum magicum nostrum fideliter reddat.

Quod lingua Latina ad percipiendas vel recentissimas res satis apta est, sive amplificando principalem verborum sententiam, sive pariendo vocabula nova, id forsitan minus admirabile videtur, quam quod ea novos spectandi, sentiendi, cogitandi modos, qui ut nobis proprii, ita ab hominibus antiquitatis alieni fuerunt, traditis et usitatis vocibus exprimere potest. Exemplum docet: nonnulla huius corporis carmina, quibus amoenitates locorum describuntur, omnino alium sensum et affectum, aliam conscientiam aliasque motiones animi patefaciunt atque ullum ‹classicorum› poema ostendit. Nihilo minus translaticia Camenae lyra animi mollitiam (Germanice ‹Empfindsamkeit›), ut uno verbo simpliciter amplectar quae adspectu naturae variisque eius impressionibus in animis nostris commoveri solent, subtiliter, canore, scite reddit. Quis nisi homo ineruditus audet lingua Latina pro mortua habere?

Itaque lectori omnia genera poesis occurrunt: ode, satira, idyllium, elegia, epigramma, epyllion, epistola, canticum. Invenit praeterea tales lusus, quales aenigmata, versus quassati (Germanice ‹Schüttelreime›), chronogrammata. Nolite suspendere naso istas nugas, amici doctissimi, sed considerate illud philosophi, quod ad rationem et originem artis ipsius spectat: ‹In vero viro puer latet, qui ludere vult.› Homo ludens, imprimis homo Latine ludens, multo gratius multoque humanius spectaculum praebet

quam plurimi nostrae aetatis homines, qui tota gravitate omnique studio nihil adpetunt nisi nummulos.

Intellegitur editorem versus non solum more metrico, sed etiam rhythmico conditos respexisse. Neque vero ignorat istum modum canendi apud amicos quosdam Camenae, qui sese unicos Horatii legitimos filios gerere solent, haud ita aestimari nulloque cultu frui. Hoc loco disputandum non est de iure atque utilitate poeticas formas medii aevi hodie adhibendi. Sapientes amici nostri certe sciunt, quam laudem Schopenhauer, philosophus Germanicus, quamque cultor ille eruditissimus ‹classicae› hereditatis, Wilamowitz, rhythmis medii aevi tribuerint. Eorum, qui mediam Latinitatem contemnunt, qui accentum et ‹homoeoteleuton› pro signo corruptionis habent, in memoriam reducatur plus quam quartam partem pentametrorum, quae in Nasonis, versificatorum elegantissimi, ‹Arte Amatoria› legimus, talia ‹homoeoteleuta› ostendere – i. e. syllabas ante caesuram consonantes cum syllabis extremis. Ceterum licet illos severos interrogare, Thomaene Aquinatis hymnos aut carmina numerosi Archipoetae totamque poesin vagorum pro privignis Camenae habeant? Sed rigidae frontes huius vanae rixae dissolvi incipiunt. Quod inde colligere licet, quod plures nostrorum auctorum versus metricos et rhythmicos simul facere solent. Neque vero metra cum rhythmis miscere licebat, non solum prosodiae, sed etiam pronuntiationis diversae causa.

Transeamus ad poetas ipsos! Nomina ex multis lingua Latina eruditis populis sub signo communis rationis atque voluntatis huc congregata sunt. Europa imperium orbis terrarum iam diu amisit. Attamen occidens, quippe qui etiam ambas Americas amplectatur, ea gloria ac laude in

orbe terrarum nostro frui non desiit, qua olim Hellas in Imperio Romano usa est: cunabula fuisse cultus atque humanitatis, quorum fundamentum libertas. Itaque poetae cuiusvis patriae, quae quamcumque vim formantem Latinitati attribuit, in hoc libro inveniuntur. Nec mirum, quod Itali, proximi Romanorum heredes, numero praeeunt! Nonne autem haec res nobis admirationi singulari est, quod cives Civitatis Vaticanae et cives Confoederationis Sovieticae unam et eandem ideam colentes in uno et eodem codice coniungi potuerunt?

Quod ad poetarum vitae conditiones pertinet, lectorem non mirari puto clericos et philologos primum locum obtinere; saepe unus et idem utroque officio fungitur. Praeter hos viros, qui linguam Latinam, etsi non poesin, ex officio, ut ita dicam, colunt, complures alii sunt, quorum munera ministerio Latinitatis vacant, sed qui huic rei nihilo minus studiosissime serviunt et artem Camenae voluptatis tantum causa exercent: medici, iuris consulti, legati, physiologi, cognitores civitatis, argentarii, doctores artium et litterarum, quin etiam diurnarius quidam. Poeta ‹par métier›, ut Francogallico utar verbo, inter omnes nullus exstat, nam officium Camenae res nobilis otii est, quae virum suum honorat, sed non alit.

Quid de poetarum aetate? Licet id sciscitari, quia chorus eorum Sulpicia ulla caret et unica mulier gregis nostri Camena est. Natu maximus octogesimum octavum annum, minimus tricesimum tertium annum agit. Pars fere tertia Parnasi nostri praeterito saeculo, plurimi ceterorum primis duobus decenniis vicesimi saeculi nati sunt. Quo intellegitur artem Camenae certam ingenii maturitatem poscere. Simulque inde apparere videtur studia La-

tina procedente tempore deminui. Sed si res ita se haberet, quomodo successus libelli cuiusdam Latini explanari posset, qui in Civitatibus Confoederatis Americae nuper vulgatus est et intra paucos menses ad plus quam centum milia emptores pervenit? Agitur de fabula illa puerili, quae anno 1926 ab A. A. Milne Anglice scripta nunc ab Alexandro Lenard, Hungaro in Brasilia habitante medico, in Latinum conversa est, cuius titulus ‹Winnie ille Pu› – Anglice ‹Winnie-the-Pooh› (E. P. Dutton, Novi Eboraci 1960). C. Arrius Nurus, poeta egregius et Latinitatis peritissimus cultor, de miro libri successu in ephemeride Americana, quae ‹Classical World› nuncupatur, scripsit: ‹All our earnest arguments about the usefulness of Latin ... pale into insignificance beside the fact that possession of the book now ranks with that of a small imported car or a motor cruiser as a status symbol ...›

Et quid dicas de hoc in actis diurnis Parisiensibus, quorum titulus ‹Mundus›, nuper pervulgato nuntio: ‹Quattuor mille studiosi Universitatis Harvardiensis (Massachusetts) a custodibus publicis bombis lacrimas excitantibus dissipati sunt, quod in universitatis decisionem in publico reclamaverant, qua diplomata sermone Latino remoto in posterum Anglice conscribenda essent. Militia aedilium arcessita est, quia custodibus universitatis non contigerat, ut turbam dispellerent vociferantem: Poscimus Latinum!›

Lector, qui annotationes nostras diligenter persequitur, nonnullos poetas laureatos, i. e. in diversis certaminibus Poesis Latinae praemiis aut laudibus ornatos, animadvertet. Editor, quod ei contigit, ut tales viros ad inceptum suum perduceret, animo se esse elato, non habet, cur celet. Quod unum aut alterum huius anthologiae carmen operi-

bus illis, quibus praemia tributa sunt, non satis dignum invenitur, auctoribus meliorum poematum solacium sit artem et vim poeticam ipsorum inter versus minore arte expolitos eo clarius enitere.

Quales lectores liber noster sibi cupit? Certe non magistros, qui mensuram grammaticam et prosodicam solam in manu habentes Camenae appropinquant. Certe non illos miseros a neotericis corruptos, qui virtutem, venustatem, vigorem poematis cuiusdam eo maioribus laudibus extollere solent, quo minus intellegi potest, quid velit. Certe non tales, qui, quamquam linguae Latinae aliquantum periti, tamen mores maiorum ut obsoletos contemnunt et aevum nostrum omnium rerum – ut humanitatem omittam – initium esse putant. Ceteri benigne grateque excipientur. Ne illi Camenae studiosi, quibus reliquiae tantum scientiae ususque linguae exstant, a lectione deterreantur! Brevi intellegent legentes multa, quae in schola olim didicerunt, ex oblivione sensim emergere. Ceterum hos moneo, ne a difficillimis et artificiosissimis poematis incipiant – sunt aliorum plura.

Restat, ut editor omnibus, qui de huius libri ortu bene meriti sunt, gratias maximas agat, imprimis bibliopolae, qui editionem talis operis audere non dubitabat; deinde poetis, quorum opera et auxilium nisi mihi contigissent, munificentia maxima bibliopolae inutilis fuisset. Cur nomina Iosephi et Linae Ijsewijn-Iacobs hoc loco citari oporteat, omnes litterarum Latinarum quantumcumque gnari certe non ignorant: umbraculum Antverpiense horum civium provinciae Belgicae nomini Romano iam a divo Iulio acquisitae ‹focus› Latinitatis recentioris appellari potest. Debemus scientiae atque doctrinae eorum notitiam

complurium auctorum operumque; ad quos appellatio nostra non pervenerat, ad eos eruditio duorum pervenit. Praeterea debemus eis doctissimum et perutilem epilogum huius libri.

Nomina Gualteri Sontheimer Stuttgardiensis editori amicissime iuncti, Eduardi Aubanel, moderatoris et redemptoris ‹Vitae Latinae› Avennionensis, reverendissimi patris Iosephi Mir (C. M. F.), editoris ‹Palaestrae Latinae› Barcinonensis hic gratissime commemorare maxime me delectat.

Procul strepente amne litterarum et poesis nostrae aetatis; procul verticibus, vadis, voraginibus cursus eius; procul spumoso fluctu rudera sordesque ferente mediis in silvis lacus tam priscus quam tranquillus situs est. Oculi per lympham ad profunda penetrant. Arborum et montium cacumina, caelum serenum vel nimbosum, vicissitudines anniversariae, solitudinis animalia, quae ad litora floribus ornata potatum veniunt, omnia in vitreo aequore se contemplantur. Quamquam affluentes aquae nusquam conspici possunt, tamen lacus semper crystalli claritatem ostendit: fontes e profundo scatentes, qui oculis cerni non possunt, lympham perpetuo reficiunt et liquidam observant. Neque vero omnes viam ad lacum occultum inveniunt. Sed qui quiete, amoenitate, dulcedine loci umquam usus est, qui unum solum haustum aquarum bibit, ille magicis lacus viribus in perpetuum obligabitur.

Hic liber, qui viam ad tantam beatitudinem monstrare conatur, te, lector amice, invitat: Vade mecum!

IOSEPHVS EBERLE

Stuttgardiae, Germania, die x m. Iulii MCMLXI

AD LIBRVM

I, Liber, exornas qui prisco nupera cantu,
  sermonis Latii pande perenne decus,

tramite quo nobis veterum sapientia manat,
  et superi Veri lumen in orbe micat;

qui socio oppositas devinxit foedere stirpes,
  ius docuit, mores excoluitque feros;

temporis et perstat Lethaea e nocte superstes,
  voce sua historiae saecula culta sonans.

I, Liber, et vivam linguam testare Latinam,
  quae docilis quaevis promere sensa valet;

quaeque novas etiam quas aetas extudit artes,
  protulit aut saeclum mira reperta recens,

eloquio haud refugit concinno exponere Tulli,
  reddere vel Flacci Vergiliique modis.

Mentibus haec doctis suade, Liber, ore modesto,
  nobili ut hoc vinclo consocientur adhuc,

utque per eiusdem pariter commercia linguae
  quaesiti veri crescat ubique iubar,

pacis et auspicium, tenuetur noxius error,
  quem male progenuit prisca superba Babel.

VICTORIVS GENOVESI

METRA

FRANCISCVS ALOISE

THYNNORVM PISCATIO

Aurae, vere novo, zephyri cum leniter afflant,
atque silet pelagus, ventis nimbisque fugatis,
Oceanum longo fugientes agmine thynni,
in mare Napetiae veniunt, ubi Bruttia tellus,
collibus extensis, portum curvatur in amplum.
Non locus est toto felicior alter in orbe,
seu mare tranquillum, seu caelum lumine puro
ridens aspicias, vel dites frugibus agros.
Saepe hic, e medio dum Phoebus fulget Olympo
di maris undosi, Glaucus, Proteusque, Palaemon,
Tritonesque citi, Phorci, Portumnus, et ipse
Neptunus, placido componunt lumina somno;
ac tersis in aquis Nymphe Galatea lavatur,
Pallias atque Ephyre, Nisaeaque Cymodoceque,
laetae diffundunt celeri vada salsa natatu.

Hic labyrintheo circumdant aequora gyro,
et longo nautae disponunt ordine casses,
curva quibus capiant radentes litora thynnos
huc autem veniunt immania monstra gregatim,
et longe lateque maris spatiantur in undis;
at cum, mane novo, Siren Colomelis et ore
purpureo, glaucis oculis, flavisque capillis,
ex undis surgit, magna comitante caterva
delphinum, thynni passim, formidine capti
ad litus fugiunt et quae sub marmoris undis
retia vasta latent, ut ne capiantur ab illis.

Interea iam fervet opus sub litore, namque
pectora nudati iuvenes pariterque lacertos
nunc laeti ludunt, nunc exercentur in armis:
idem omnes simul ardor agit: transfigere pisces.
Impiger interea cymbas navarchus et arma
inspicit; ex numero nautas tum seligit ipse
aptos ad pugnam; dat cunctis ultima iussa;
lintrem conscendit, pelagus percurrere gaudet,
ut quot sint videat pisces in carcere clausi.

Sibilus auditur: ‹Propere consurgite, nautae!
Festinate omnes; remis, date brachia remis!›
(Alto de scopulo, unde omnem metitur aperte
ponti planitiem) – clamat speculator –: ‹Eundum est
omnibus extemplo: plenum iam rete scaturit!›
Ad cymbas nautae currunt, transtrisque sedentes
incumbunt remis: pontus iam lintribus albet!
Fluctus purpurei resonant lambuntque carinas.
Innumerae veluti pleno cum lactis ovili
muscarum gentes incumbunt vere sereno
ac volitant mulctras ingenti murmure circum,
sic nautae cingunt thynnorum retia plena;
dein artis claudunt aditus compagibus omnes;
circuitu stans in medio navarchus ad astra
attollit palmas et supplice voce precatur:
‹Audi, qui terras cingis, Neptune, precantem:
ne prius hesperidas Phoebus declinet in undas,
quam evadat victrix e pugna Bruttia pubes,
incolumisque domum redeat: tua templa petemus
vespere sub terso, sollemnia dona ferentes,
atque tibi, lauro redimitus tempora mysta,

anniculum, Numen, vitulum mactabit ad aram.›
Clamosa interea pagi plebs occurrit ad actas,
vocibus et manibus stimulat iuvenumque virumque
bellaces animos. Veluti leo montibus altis
degressus fremit et ventos percussus et imbres
excutiens cervice thoros et viribus audax
se furiis agitat totoque ardentis ab ore
scintillae obsistunt, oculis micat acribus ignis,
sive inter vitulos, sive inter ovilia gressu
impavidus fertur, laniataque corpora tabo:
cogit enim malesuada fames venterque furentem
ire greges inter propiusque accedere ovile,
quod bene pastores ramis texere recisis,
non aliter nautae thynnos grassantur et hastas,
uncos, tela, plagas, curvos trifidosque tridentes
coniciunt in eos ut obumbrent aethera circum.
Undique dant saltus, redeuntque sub aequora pisces,
emergunt iterum, nautas aspergine rorant,
et terebrare student mortis retinacula. Frustra!
Ingens est caedes, fusoque cruore rubescunt
spumantes late fluctus. Colomelis ab undis
exsurgens iterum sirenes advocat omnes;
accitae veniunt illae, glomerantur in orbem,
et roseis thynnos digitis attingere gaudent
et festos vitreo celebrant in marmore ludos.

Navita dat reditus signum: de more phaselum
navarchi lauro iuvenes et floribus ornant;
thynnorum plenae sulcant vada salsa carinae:
invadunt litus gentes ex urbe ruentes
verbis et nutu nautis gratantur, et omnes

auxilium praebent illis, qui litore praedam
disponant et aquis multis deformia tergant
vulnera thynnorum, quos censet et impiger ipse
navarchus tradit nautis ut, ne vitientur,
igne coquant, oleo fundant, cervice resecta.
Omnes deinde petunt fanum de marmore structum,
quod patres quondam Neptuno rite dicarunt,
ut tenerum mactent vitulum Numenque precentur.
Mysta molas spargit, setas cervicis in ignem
iniciens, iugulat vitulum: mox viscera nudat;
crura in frusta secant laeto nidore tegentes
tum iuvenes et terga parant atque ignibus urunt:
crura vorant flammae, nautae lustralibus extis
vescuntur, reliquum caedunt et cuspide figunt:
accumbunt epulis tandem mensaque fruuntur.
Ante fores templi cuncti tum carmina dicunt
et faciles ludunt; luna radiante, puellae
exercent choreas, dextra dum cymbala pulsant ...

Tellus et pelagus laeto clamore resultant.

IACOBVS M. F. BOROVSKII

FESTA NATALICIA

HORATIANVM

[1936]

Perstrepit laetis Helicon choreis,
tibiae certat lyra non silenti,
concinit clara melos ad sorores
voce Thalia

illius sacris properans honorem,
Lesbios qui primus adire fontes
ausus est adfertque novo decore
carmina nobis,

ipse, cui lauroque hederaque cingit
tempora et frontem Patareus virenti,
quique natales decies peregit
rite ducenos,

semper et florens valida iuventa
spernit immanis metuenda regis
sceptra, dum caeli superat profunda
laude perenni.

Quin age et nostros Borealis aurae
flamine ambustos patiare flores
in tuam necti nitidam coronam,
suavis Horati.

OVIDIANVM

[1958]

Naso magister erat teneri fecundus Amoris,
idem sed potior Naso magister erat:
nam quaecumque suis mutarunt numina formis
monstraruntque altas ire per astra vias
edocuit remanere tamen candore perenni
esseque sub facie pristina membra nova.
Cuncta fluunt, at certa viget constantia rerum
aucta quibus magico carmine vita semel,
atque etiam meliore nitent perfusa decore
quae tetigit facili callida Musa manu.
Sic flentem Nioben semper mirabitur orbis
quique dolor fuerat, nunc erit almus honor,
magnanimus Phaëthon sic non iam vilia terret
pectora, sed mentes sursum animosque vocat.
Quin ipsa exemplo est nobis, divine poëta,
sors tua flebiliter quam canis usque dolens.
Reddere non potuit tibi blanda querela penates,
non umquam iratos conciliare deos;
at tu redditus es caelo nomenque cluebit
iuxta Maeonidem sospite laude recens.
Felix cui vitae large fortuna rependit
damna deditque iterum vivere post obitum.
Rite igitur tibi natales bis mille peractos
grato prosequitur pectore posteritas.
Vive vale aeternum, crescat tibi gloria pollens
neu desint umquam, qui tua verba legant.

LOMONOSOVIANVM

[1961]

Quinquaginta annis annos cumulasse ducentos
te, decus o nostrum, canimus. Si condere laudem,
si modo te dignam possemus menteque celsa!
Totum namque tuo complexus pectore mundum
quaecumque ima latent oculis incognita nostris
protraxti lucem in claram ratione sagaci
ipse tuum multo praecurrens tempore tempus.

Monstrasti faceret quid saepe liquescere corpus
et rursum e liquido solidi vim colligere omnem,
cur aër levis abstrusis inferne fodinis
manaret magno ceu concita flumina tractu
atque cometarum caudae quidnam sibi vellent.
Notitiem vani dimittens iure phlogisti
certam vidisti calidi causam esse vaporis
quod varie celeri motu corpuscula parva
versentur, quibus e constat quod nascitur omne:
Haec vario sensus ita nostros afficere ictu
ut praestent nobis discernere frigida caldis.
Idem tu stellam Veneris, dum proxima Terrae
inter eam ac Solem recta se congrua confert
sedula circumiens Solem interiore meatu,
hanc, inquam, observans multum trahere aëra secum
et spissam nubem obscuret quae debile filum
prudens ante alios fidenter colligis unus,
Nec satis est tibi naturae scrutare profunda
qua generosa sitis noscendi ducat eunti,

sed mage vitalem converti cognita ad usum,
artibus ingenuis homines ditescere cordi est.

Inde amor ille tuus musivae prodiit artis
cuius tot formas, tot clara creata videmus.
Quorum operum insigne est exemplum nobilis illa,
urbis honor nostrae, pugnae ferventis imago,
urget ubi medios hostes iam Conditor ipse,
vincere iam properat, iam magnam vindicat urbem,
imperii sedemque novam et tutamen adauctum.

Idem carminibus reseras insueta viarum
commodiore sono mulcens aures animosque
suavibus et numeris formosa poemata vestis.
Splendor inest ibi versicolor caeli borealis
quem populi perhibent hiberno sole carentes,
flammantesque per astra furunt immensa procellae,
atque infiniti quot sunt miracula mundi
versibus ornatis pariter splendentibus edis.

Denique sermonis patrii cognoscere leges,
iustam dicendo scribendoque indere normam,
quod tamen haud pauci certant agitantque priores,
nulli continget quam tu praeiveris ante.

Terque quaterque igitur meritam nunc sume coronam
quam tibi sancta offert patriae reverentia gratae,
inter et insignes laurus oleamque nitentem
flores, en, nostros ne dedignare modestos.

MIECISLAVS BROŽEK

CARMINA AMATORIA AD CHRISTINAM

I

Ne tu mireris totiens repetisse me amoris
  nomen perque brevi carmine perque levi.
Causa mihi tute ipsa, tuo namque uror amore,
  te pereo! Nec iam vivere mi videor.
Namque, fatebor enim, nisi tecum commoror, omnis
  commorior. Tantus, quo tibi iungor, amor!
Ne tu igitur mirere tui, dulcissima amata,
  nomen amoris agi versibus usque meis.
Ergo amor atque amor est, amor est, quo carmina tota
  si imbuere aptum esset, iam imbuerem, imbuerem,
nec quidquam legeres, nisi amorem et amorem et amorem,
  rideresque meo carmine laeta novo.

II

Iam silentia nox agit serena
iam caeloque redit quieta luna:
urbs dormit, favet otium sopori.
Non meo est animo quies amica,
non me somnia sopiunt benigna,
mutaque undique solitudo oborta
cor desiderio magis magisque
tuo, diva, replet, tuo, voluptas.
Quo te quave via tulere fata
longinquisve locis quibus moraris?
Longe abes, dea, longe abes diuque.

Iam redi propere tuoque vitam
aspectu mihi iam refer beatam.
Namque ut sole nisi tepet sereno
flos, languescit, aprico at ardet arvo,
sic me, sic nisi lux fovet tuorum
luminum, emorior. Si ades, resurgo.
Cito iamque igitur redi mihique
vitam redde oculis tuis beatam.

III

Divis orte bonis, optime ...
HORAT., Carm. IV, 5

Divis orta bonis, optima saucii
custos cordis, abes iam nimium diu.
Iam desideriis depereo tuis:
  nil differ, sed ades, redi!

Vitam redde tuo, lux bona, lux bona,
non vivo puero, luminibus nisi
dum solem nitidumque dulcia mella
  delibo, dea, de tuis.

Iam quodcumque avidos ante oculos mihi
obversatur, amans te videor modo,
te spectare, tuum nomen et aureum
  audire undique et undique.

Non me si quid amas, diva, diutius
exspectare sines teque mora gravem
adventusque tuos. Ah, citius sono
  ad me iam, precor, advoles.

Nil, Christina, tibi, caelitibus nihil
umquam difficile est: sume cito leves
pennas et volucris iam redeas, precor,
ad me iam redeas, precor!

IN PVLCHERRIMAM

Quid quereris? Quid me incusas, pulcherrima, nullo
quod te laudarim carmine caecus adhuc?
Quid vultu lento quid et offenso mihi vultu
circumfers tete, fronte serena prius?
Non ego sum, qui quae scribam, scribamque canamque
sponte mea: dictat Phoebus agenda mihi.
Cui tu digna choris Charitum praeesse videris,
sive Thalia velis Aglaieve coli:
Musarum sed nulla tuae dedit oscula fronti,
nulla labris, Phoebus nec dedit arte sagax.
Virtutes, formosa, tuas, speciemque decusque
decantet alius, si tamen ille potest:
nam tibi nec Venus ipsa sua applicuisse videtur
oscula, pectus Amor nec tetigisse tuum.
Nulla igitur suavi celebrabere carmine, nullis
aut Paphiae celebris Pieridumve bonis.
O, quam te vellem, fieri si posset, in illam
mutari, forma quae minus alta fores!
Cedere enim tibi tum quoque nulla puella negaret;
viva modo fieres, marmoreum nec opus!
Quae tamen alma Venus ridet quia vota, Camena
ridet, inane animi corpus, inane, vale!

PETRVS BRVNO

OLYMPIA

I

Nos pariter laeto celebremus Olympia cantu,
apta feros hominum mansuetos reddere mores
atque inter populos civilem extendere cultum.

Tabida pestilitas gentem vexabat Achivam
funera continuans: mors grassabatur ubique
innumeros homines nullo discrimine sternens;
aedes funereis plangoribus usque sonabant
et gemitu assiduo; tum – res taeterrima visu –
per fora perque vias rancentia corpora olebant.
Nec satis: invidiae cives et dira simultas
scindebant miseros, et amor funestus habendi
sic animos nummis torquebat semper hiantes,
ut minus horrerent armis saevire vicissim.
Urbes tunc trepidae certant munimine cingi,
militis et multi excubiis obsidere portas.
Intactum quid enim miseris mortalibus exstet,
pectora si capiat lucri vesana cupido,
servitioque suo Martem compellat iniquum?
Unde salus ergo? Delphos en Iphitus ire
ilico consultum decernit Apollinis aram.
Pythia confestim sacro correpta furore,
pallens ora, comas per collum incompta fluentes:
‹Instaurentur – ait – certamina Olympica, ut atra
funera iam cessent, redeant et gaudia pacis.›

Quae dederat numen peragerunt munera cives,
protinus et pacis spes blande pectora mulsit,
ut subito in tenebris apparens sidus amicum.
Ulcera mox coeunt, reflorent corpora rursus,
pallor abit, vivo turgescunt sanguine venae
atque graves abigunt venientia tempora morbos,
ut sol collectas dispergit ab aethere nubes.

Hinc optata salus, siquidem quae moenia tristes
condiderant lites, statuunt evertere cives,
firmet ut unus amor pacem, tutetur et urbes.
Dedignatur enim portas, confinia, muros,
pectora cum pervasit, amor, moderator et unus.
Hinc minime porta, fracta at per moenia retro
victor Olympiacus rediens vehebatur in urbem.
Mirificum sane specimen sublimis amoris,
provida quod populis dedit olim Graecia scissis;
ipsius at minime halavit fragrantia longe,
nec gentes alias tetigit populosque propinquos
Italiae: Martis, fuso qui sanguine gaudet,
iussa sequens, ventos caecos rex Aeolus antro
continuit longis saevisque furoribus actos.

Amnis at Alpheus, ponti qui novit opertas
ire vias tenebris, subter mare, detulit echo
eius ad Ortygiam ridentem, ubi murmure laeto
‹ore, Arethusa, tuo Siculis confunditur undis›.

II

Nunc igitur laeto celebremus Olympia cantu.
Eia, palaestritae, ludi dat buccina signum;
surgite, et optatam certatim carpite laurum;
vos manet impatiens plebs ...

O mirabile visum!
Candida ad Alpheum fax splendet Olympia flumen,
quae puros oculos, iuvenilia et ora sereno
lumine perfundit. Iuvenis mox prosilit audax,
lampada qui carpit sicut Tirynthius heros,
constringitque manu valida, teretique lacerto
elevat, et sinuans alterna volumina crurum
currit hians, properat, rapidis volat impiger alis,
solis iter servans: valles descendit ad imas,
exsuperat montes, obstantes traicit amnes
impavidus; densas pertransit civibus urbes,
oppidula et vicos et sparsa mapalia in agris
multiplici Cereris ditatis munere. Cuncti
demirantur eum celerantem praepete cursu,
altaque spes iterum pacis praecordia mulcet.
Nil puerum retinet; vis nulla obnititur ipsi,
qui maturat iter flagranti lampade coeptum,
lucem qua transit diffundens atque calorem.
Advenienti illi portae finesque patescunt,
et vigilat miles devictus proicit arma,
illius arcani dulcedine captus amoris,
foedere qui gentes omnes devinciat uno.

Ecce cadente die, cum pulcher, Apollinis instar,
iam languet iuvenis (nonne est mortalis et ipse?)
officiosus adest mox velocissimus alter,
qui arripit a socio defesso lampada sollers
continuatque fugam; quem protinus alter et alter
sufficit, atque ita protelo, dum rite peracto
curriculo tangat praefixam denique metam.

Mira voluntatum concordia, ubi aemula virtus
carpere contendit per dura, per aspera palmam!

Nexibus ut variis auro conflata catena,
bracchia quae divi vincit, rutilantior ardet,
anulus addit enim diversus quisque nitorem;
floribus aut veluti multis confecta corona
pulchrior alterno discreta colore renidet,
tempora quae divae praecingit suaviter halans;
sicut et unda maris veniente extruditur unda,
quam subito exsultans mox protinus altera trudit,
murmure dum rauco spumantem verberet oram;
haud aliter puer hic puero subit, alter et illi,
tempore et efficitur numquam diffracta catena,
pacifice certans, ubi fulget gymnica virtus,
et iuvenile decus, quod lumen amabile fundit
haud oculos caecans, blande sed pectora mulcens.
Anulus illius procedit ab Elide primus,
indeque per gentes series evolvitur omnes,
conscia dum serpens Alphei immurmurat unda,
murmur et ad flavum Tibrim fert aura volucris,
qui populos omnes sociantem cantat amorem,
imperium priscum foedatum sanguine temnens.
Lampas enim Romae, clades quae vidit atroces,
urbem sed fecit cunctis ex gentibus unam
iure micat rursus, pacis spectabile signum.

III

Laudibus exornent alii qui findere perstant
acriter insano nisu corpuscula prima,
terrificas atomos, cladesque minantur atroces;
carmine Tyndaridem celebrent aliasque puellas,
a quibus exarsit bellum per tempora longa
et miserae flerunt natorum funera matres.

Nos heroa novum merito celebremus honore:
non is bellorum per gentes semina spargit,
non gemitus properat, non luctus nuntiat atros,
inscius at pacis praeco discurrit in orbe.
Dum celerat gressus, ridet natura benigna,
nubila diffugiunt, ventorum concidit ira:
laetitia aspectus vastae dipingitur aethrae
luceque diffusa viridantia rura renident.
Eia agite, o cives, quotquot cum plausibus istum
atque hilari vultu puerum excepistis ovantes:
undique ferte citi, tantorum in praemia honorum,
rite triumphalem laurum, decerpite flores:
paciferae at ramos praesertim carpite olivae.
Ramus enim merito caput eius cingit olivae,
quo veniente iterum Concordia sancta videtur
ferre gradus terris, praebere et munera pacis.

IN NIMIA VINI VECTIGALIA

O saecli horrida pestis inficeti!
Dormis, Bacche, tuisque opem negabis
ferre ut tot mala strenui repellant
quisque quae sibi sentit imminere?
Scilicet tua dona ponderosis
non hunc ponderibus pudet gravare
qui praeest populo et tributa gaudet
augere inque dies petit tributa
maiora ac graviora vult tributa,
ut si non pia dona magna ferrent
non ferenda quidem Herculi tributa.
Atqui non videor mihi esse Croesus ...

O saeclum malesanum et inficetum,
quod vini cyathos gravet tributis,
vini ut delicias fugent egeni
arescatque mihi tenella lingua.
At illi tua dona gaudiumque
tuum, Bacche, nega tuasque dulces,
quibus deliciis fruebar ante,
atque hoc perdere saeculum memento,
quod stulti nimium aureum vocarunt.

IN QVENDAM ARBITRVM CERTAMINIS HARPASTI DIRAE

O barde arbiter ac inique iudex,
tu qui saepe aciei nihil merenti
mendosae Latiae favere es ausus,
quae in rete ingerere impotens habetur
follem (nam manibus vetatur uti):
quaenam convicia probrosiora
pro tuo crimine, ultor haud benignus,
in tuum facinus vomam pudendum?

Rebus qui Latiis studet misellis
profari nequit intumente bile,
quod indigna satis putatur certe
quam victoria das ei repente,
o trifurcifer arbiter spuende!

ROMANVS CIESIVLEVICZ

AVE, IVVENTVS!

Ave, iuventus, robora gentium,
sanguisque noster, spiritus et recens,
   et spes parentum magna, cunctis
      praesidium ac columen futurum.

Ave, iuventus, cui probitas viget,
et quae parentes semper amat suos,
   honorat et iustos magistros,
      adiuvat et tenues senesque.

Salvete, nati, qui sapiunt probi,
quid sit nefas, et vi procul et stupro
   intellegunt rursus creari
      omne scelus violentia usque.

Salvete, doctae vos quoque filiae,
quarum salubris mens oculos regit,
   non corporis servum libido
      ut iuvenem faciat solutum.

Ave, iuventus, cui pietas, amor
Musaeque cordi, viribus et suis
   opus creans pulchrum, docentem
      quod superare potest magistrum.

Salvete, cunctis discipuli in scholis,
acres ad artes et bene litteras,
   humana quod natura libris
      utilibus proba fit, studendas.

Salvete, pravi vos operarii
laboris atri sub viridi solo,
vel fabricis stridore plenis,
frugiferisve novis in agris.

Ave, iuventus, tempora discere
tibi bono nunc ludere vel pila:
patres facultatem dedere,
cum cecidere feris duellis.

Ave, iuventus, paciferi memor
semper laboris fidaque patriae,
nunc voce rara vos Latina
versibus atque meis saluto!

SIGVLDA

Si, mi care, cupis regionem noscere, Poldi,
in Latvia pulcherrimam,
tum mecum vehere in vicum, cui pulchra Sigulda
ab incolis nomen datum est:
altis in ripis fluvii, quas Gauia revellit
(est omne flumen Latvicum),
antiquas turres castellorumque ruinas
spectabis et saltus boum.
Tu nitidas pinges ripas ab colle Turaedae
specumve magnum Gutmani,
ast ego Vergilii propter te scripta libenter
legam sub umbra frondium.
Tu pones aprica locis cum semper opacis,
ut omnia in terra vides,

me delectabunt animus mentesque poetae,
    et rura descripta, ac labor.
In tabula formam naturae reddere largae
    coloribus multis petes,
verbis quae scripsit vates pedibusque studebo
    illustris ad gentem suam.
Inde novus nobis quaerendus collis amoenus
    (mutare sedes utile est),
ibimus ad dextram, qua celsior usque Crimulda
    regnat super comam arborum.
Tu propere facies picturam frondis opimae
    et tortuosi fluminis,
hic ego conabor patienter pangere versus,
    sequens poetarum pedes.
Cumque reverterimus naturae vespere pleni
    sero manentem nos domum,
tum noster paries picturas parvus habebit
    tua arte crescens iam novas,
versibus atque meus paucis augebitur audax
    libellus in mensa gravi.

IOSEPHVS COCHEZ

BIBLIOTHECAE LOVANIENSI REPARATAE

[1928]

Aureus Sedis Sapientiae sol
alma lux mundum radiis penetrans
veritas aeterna scientiarum
  abdita pandit.
Aedium moles monumenta patrum
quae furor belli crepitans perussit
ardua ad solem reparata surgunt
  munera pacis
Celsa quod turris melos aëre cantat
transilit collis recinitque imago
dona fraternae posuere gentis
  Americanae.

VNIVERSITAS LOVANIENSIS IOANNI CARDINALI MERCATI

Celsa te Sedis Sapientiae vox
gratulans docto celebrat patronum,
qui suos Romae cupidos doceri
  iuvit amicus.

Nec minus laudat seriem librorum
ingeni mirum studiique testem,
codicum vivo nitidoque fonte
  naviter haustam.

Dum dies currunt operosus annos
transigis totos humili recessu,
prodigus ditas iuvenes magister
    et regis ultro:

Lampadem tradens quasi cursor olim
laetus hic vivas senior vigente
vi tua longum, tibi quod precantur
    vota Senatus.

QVIRINVS FICARI

CANIS AD HERVM

Paucos amicos qui numeras, here,
prudens quot haud false unanimos putas,
vel mille sinceros superque
adiice, quotquot eunt diesque,

Quando cani ullos invenies pares?
Defenderis cui tutius, acrius
cuinam? sodalis quis comesque
officiosior? aut in aegrum

Sic tristis, aeger nec minus, accubans?
quisve in remotum tam memor obvius?
Casum nec ignavus recusat,
nec domini tumulum relinquit.

Agnosce amicum, nomen ut arroget:
aut poscit, aut, si poscitur, abnegat:
Fortuna conducit fugatque:
nonne ferox in eumque latrem?

Servosque sollers progenuit canes
natura fidos. Hinc rabiem parat,
hinc impetus: ustique flagris
imperio dociles paremus.

Nil maius optant quam dominum sequi:
venanti odora vique feram, alitem
tollunt, reportant gloriosi,
ore ferunt gerulique vimen.

Tutela rerum nil cupiunt rei:
blandique tactus ossaque dentibus
merces famesque exstincta iacto
deteriore vel osse pane.

Quaecumque ducis pessima, quae iacis
in probra, iungis cum cane propalam:
seu vivit anguste, dolatur
seu, male quis cubat, errat aut quis.

Vulgare dictum est: peius agas cane;
idem minaris: vincla canis geres:
nos usque iucundi monemus
ferre pios facilesque sortem.

BACCHEI VIRI CANTVS

Cum Baccho Venus it simul, manuque
se iungunt hilares: canunt, choreas
ducunt. Gaudia dividit iocosque
haec atque illa levis sequens caterva.
Duplex et secat alteram voluptas:
uno hoc, sed solido, bono fruamur.
Euohe! Bacche, Bacche.

Tranquillos abigit Venus sopores,
est Bacchus placidae dator quietis;
vexat sollicita illa sauciatque,
curis hic recreare amat fugatis.
Ergo sanus amo scyphos leporesque,
adscriptus Satyris chorisque Bacchi.
Euohe! Bacche, Bacche.

FALISCODVNI OPPIDI VERTEX

Arduus hic locus est, silvester, apertus, amoenus,
visus ubi mirum latumque amplectitur orbem.
Subiacet adclivis templis ornata vetustis
urbs angusta viis, multo circumdata pago.
Adspicit e Cimino solem conscendere saltu
atque Apennini feriente cacumine caelum,
et se pumiceos post longe condere colles,
usque coronatos turritis undique vicis.
Abripit hos propior versos redditque lacustris
vitreus anguilla fluctus bene notus opima.
In medio clarum busto scopulum Amalasunthae
insulaque emergit septem visenda sacellis.
Seiungitque lacum pulcherrima vallis ab urbe,
densa comis, casulis et fixo palmite glaebis.
Lataque planities nemorosa extenditur ante,
extremaque procul praetendens aequora ab ora,
quam cane circumdat figendis impiger apris
venator caesaque fera redit inde triumphans.
Qui venit huc, stupet, ore diu consistit hianti.
se vidisse negat culmen iucundius umquam.

IOSVA IOANNES FRAENKEL

LVDI SCAENICI

Scaenica quid valeat nostra ars cognoscere si vis
quoque modo hanc soleant nostri pueri exercere,
Gooilandae vacui matris lectionibus almae,
en lege quae scribam. Vetus acta tragoedia, si qua
nota tibi est, illis de Caesare Shakespeareana,
dimidiata tamen mutatis fabula verbis,
tempus ut acturo mox Cyclopem superesset
mutandique gravem socco leviore cothurnum.
Sed seriem praestat narrare ex ordine rerum.
Multisonis postquam est modulatus vocibus Hymnus
noster, quo nullum reperires absoniorem,
et nos texerunt extincta luce tenebrae,
subducto nondum velo, procedit et omnes
Vulpius alloquitur ludi numeratque magistros
insuper uxores numerat, quas cernit eorum.
Mox alii septem, frustra cupiente theatro
audire et spectare actus, celebrant memorantque
laudem gymnasii necnon decus oratores.
Tympana sed cum ter sonuerunt nosque repente
aulaeis movit sublatis scaena decora,
ecce togis, braccati olim, cruciantur alumni
grandiloquosque habitu simulant et voce Quirites.
Immodica gratae ipse cupidine caesariei
narratur Caesar calvusque fuisse, sed illic
crinitus Caesar pulchris flavisque capillis
in scaenam prodit multo iucundior illo
Caesare qui scriptis balbos conterret alumnos.

Nonne comis tragicus comptis servabitur heros?
Immo pium caedet comitem mucrone nefando
Brutus et has partes peraget brutas furibundus.
Dicitur haec heros gemuisse novissima verba:
‹Post alios omnes et tu crudelis amico!›
Haud mora sed feretro vectant illustre cadaver
– an vivum actorem? – graviter tardeque ministri
(nam rerum veluti iudex Antonius aequus
illis officium hoc dederat) sequiturque proterva
plebs Romae et rure extracti reliquique sodales;
rhetoris auscultant magno cum murmure cives
callida verba omnes. Homines nunc egregii, mox
carnifices Brutus sociique vocantur atroces.
Ne brevia ambages longae spectacula tardent,
neu somnus captet lectorem aut nausea quaedam:
Marcum collaudat plausu sequiturque ducem plebs
ilicet ad Bruti caedem caveamque relinquit.

Dum variis trahimus sermonibus intervallum,
implemur vilis piceoque colore liquoris.
Ad sellas iterum laeti spectentur ut actus
conferimus gradum: incipiet iam dicere Cyclops.

Ignotam tandem servati fluctibus oram
cepere exhausti bello requiemque petentes
Dulichii comites ducis atque dolosus Ulyxes,
verus hic et gladiator et haud minus histrio verus;
mire illis humeros velamina serica tegunt
quae femore ostendunt medio tenus albida crura.
Belligerum minime similes, at cetera Graii,
qualibus in coriis soliti gestare libellos
aut pueri, aut holera ancillae panesque recentes,
talibus in saccis Bacchum vectant animosum.

Iamque senex tristi Silenus voce cruentas
narrarat cenas Cyclops quibus ipse soleret
vesci, cum Cyclops ... At me Polyhymnia non vult
fabellas veteres calamo rescribere novo.

QVERELA

Olim bonas extollere litteras
gaudebat aetas firmior et frui
mentisque libertate sanae
verbaque non sine re profandi,

Pro qua sed indulgere licentiae
prisca minores incipimus novae
vocemque veri opinione
spernere prae dubia molestam.

Recte loquendi difficilis modus,
nam veritas semper viget integra
sed maxime verbi. Quid ultra
quaeris? At inferiora quaeris.

Exempla fortes respuimus viri
cur fortiorum Graeca manentium?
Nobis vetustas cur, rogamus,
reicitur velut obsoleta?

Vernis Erasmus grandia vocibus
qui prodidere haec risit uti sues.
Qua nos suum mente aggravati
simus, Erasme, videsne inepta?

HIPPOLYTVS GALANTE

SANIVCTA

Initium poematis

Virgineos raptus et inania vota parentum
frustra natorum vetitis luctantia votis,
et quibus illudens furtim mortalia corda
illecebris fallat vaesani mater amoris
captaque letifero penitus grassata veneno
quam rabidis agitet furiis, nisi recta salubre,
auxilium ratio divino numine sanctas
obiiciat leges, morbis contraria primis,
utque malam fraudem peior cumulaverit ulta
fraus, iraeque sequens accesserit acrior ira:
Tum consanguineis late Gangetica rura
depopulata odiis, et bella exercita diris
stragibus insontum, ferrumque in mutua versum
volnera idem nataeque patrisque bibisse cruorem
pandere fert animus – tantis modo turba noveni
adsistatque chori faveatque benignior ausis –
indaque Romano deducere carmine gesta.
Ardua molimur, fateor: nec viribus illa
conanda exiguis potiori dignaque plectro:
Sed temptare iuvat, suadet temptare voluntas
certa mihi nomen, Romano nobilis ostro
Cicognane, tuum nostris intexere chartis,
quas ego Saniuctae casus miseratus iniquos
hospitio exceptus nemorum placidaque Himalaiis
suppositae nivibus Masurae sede notabam:
quasque meam, celsis cum corpore cassa vagabor

umbra polis, memorem testatas post venienti
aetati gratamque in te mentemque animumque,
qua licet, expetii mansuro dicere cantu ...

(versus 1–29)

GANDHI

Inscriptio in basi statuae eius sculpta Novae Delhiae

Impositam moli quam cernis Gandhis imago est,
hoc Indus patriae donat honore patrem.
Haud opus indignum meritis, sed quod tamen olim
absument longâ tempora lapsa morâ:
ast animis hominum, magni quam suspiciendam
effigiem sculpsit pectoris ille sui,
hanc vel non unquam vel tunc abolebis, in ipsos
cum, fera mors, animos ius tibi fata dabunt.

INSCRIPTIO IN AËROPORTV ROMANO

Quam pede nunc premis, haec est, hospes, Romula tellus
qua nullus toto clarior orbe locus.

Imperii longo secturae tramite fines
principium celebres hinc habuere viae.

Claudius hoc reduces voluit consistere portu,
quae mare per nostrum vela tulere rates,

quo cunctis aditus terraque saloque vehente
urbis ad aeternae moenia celsa foret.

Quique habitat Gades Euxinique incola Ponti,
quique Araris lymphas, qui Phariasque bibunt,

excepti placidis Tiberis requiescere ripis
materno possent pignora cara sinu.

Illud erat reliquom, ut potior terraque marique
flabile praeberet vastus Olympus iter;

hoc ego praesago divinans corde futurum
aethereas docui primus adire plagas

prospectasque animo nunc alas undique denso
agmine contemplor me volitare super.

Gaude, Roma parens, terrestrem sedibus unam
praelatam reliquis, quam colit ipse deus.

Gaude, diva, tibi, quod trina elementa paratum
cernis in obsequium prona coire tuum,

tuque hospes, gaude, complexum saecula multa
hic praesens una cui patet omne decus,

quod tibi, si tanto mens obruta pondere rerum,
audendi dubio spem perimente metu

nil, quod sors hominum valeat producere maius,
viribus effetis iam superesse putet.

Adspice me Latiamque istis magis ardua gentem
moliri ingenio posse fatere suo.

IN TYNDARVM GRAMMATICVM

Doctores inter Romanae, Tyndare, linguae,
iudice te, primum cum mereare locum,
quî fit uti Latio quoties sermone loquendum st
protinus arte miser deficiare tua?

Singula si spectes, quae nectis verba, vel ipsi
ut proba Nizzolio posse placere putes:
at procul ingenuus iunctis color ille recessit
qui nitet in scriptis, inclute Marce, tuis.
Scilicet est aliud praeceptis grammaticorum,
est aliud Latio more modoque loqui.
Quidquid grammatici sterili peperere labore
totum repperias in Cicerone licet.
Lectus at hic iterum atque iterum tibi plurima prodet,
nulli grammatico quae docuisse datur.
Haec fugiunt legem: vix sedulus exserit usus
ingenio studiis auxiliante tuis.
Possumus haud omnes eadem, sed iniqua Minerva
quod tibi largitur, denegat illa mihi
hanc Latiae donum tibi non tribuisse loquelae
quae tua dicendi forma genusque monet.
Quid facias igitur, quo quem iactaris adeptus
inter doctores iam tueare locum?
Tradere perge aliis linguae praecepta Latinae;
tu modo ne Latia voce loquare cave.

VICTORIVS GENOVESI

AD EVROPAM

[1937]

Cur, Europa, tui cessas secura pericli,
  tuis cavere negligisque casibus?

Ingruit ecce tibi turbo vastator ab ora
  gelu rigente quam irrigat Borysthenes.

Barbariae rursus mox involvere tenebris,
  scelesta nî resederit rebellio,

cladibus et flammis quae evertere nitibus orbem
  throno Deumque fulminante trudere.

Didita coniurat saevas meditata ruinas
  tenebricosa ubique machinatio.

Sollicitat plebes communia cuncta ululantes
  novis et usque concutit tumultibus.

Omnia pessumdat, divina humanaque iura
  negat furoris impotens et obterit.

Incitat ignavas aliena invadere turbas,
  domos et arva fabricasque divitum.

Foedera coniugii numquam violanda resolvit
  viamque pandit impudens licentiae.

Quin etiam sacras igni scelerata dat aedes,
  in orbe Dia ne immoletur Hostia.

Criminibus mundus tantis foedatus inhorret
  doletque monstra se tulisse talia.

Ecce venenatos gignunt sata semina fructus
et error usque parturit piaculum.

Quo ruis, Europe? Christo praeferre Barabbam
proterva iamdiu assoles: quis ultimo

te exitio eripiet? Mens heu iam praecipit horrens
tibi futura damna mox miserrima,

motibus eversas cum et seditionibus urbes
videbis atque delibuta sanguine

templa augusta Dei, patrum monumenta cremari
reique publicae arbitram tyrannidem,

civibus ignotam diro regnante Nerone
diebus atque saevientis Attilae.

Grandis eras, Christi cum fida clienta, per orbem
fuit tuum superna scita fundere;

ast inimicus homo te discidit impius unam
et egit in Deum levare cornua;

ludibrio obiecit divina oracula Christi,
suprema iura vindicasse garriens

se laqueis vinctae pridem rationis iniquis,
acerba praeparavit atque funera.

Excute turpe iugum, resipisce, Europa: quid haeres?
procella proximat, tumescit, imminet;

increpuit passim, saevit vastamque ruinam
brevi minatur usquequaque gentibus.

Non utrique licet, Christo et servire Barabbae,
repugnat alter alteri: quid eligis?

Seditio, furtum, strages, obscena libido,
  subinde civitatis et negantia,

denique barbariae nox lugubris, ecce Barabbas!
  Pudor fidesque, pax et alma veritas,

iustitiae cultus Christum comitantur, et Ipse
  salus et una civium beatitas.

PASSERCVLVS

Stridet hiems! Inter spinosa flagella roseti,
    propter fenestram, sibilat
    ventus hyperboreus.

Ecce vitris crebro pultat passerculus ictu,
    impastus, escam quaeritans
    perfugiumque sibi.

Velivolo iactum diffregit missile curru
    forsan tepentem nidulum,
    quoque puella die

Comis ubi panis consuêrat spargere micas.
    Exterritum sed expulit
    inde ruina vagum.

Nunc aliena pavens perlustrat tecta domorum,
    si praebeat quae commodum
    rima cubile cava.

Mens heu! quot pueros palari prospicit orbos,
    quos macerat ieiunium
    diraque vexat hiems.

O miseros flores, turbo quos occupat ater,
vitae vel ipso in limine,
deterit atque dolor!

Hos, Deus, insontes, solamine, protege cassos,
qui pipilanti passeri
providus usque caves!

DIRAE IN VRBIS STREPITVS

Quod scelus admisi, quaeve implacata meorum
in criminum piaculum,
corpus ut umbra sequax, fera me insectatur Erinnys,
nocti diuque ut torquear
motibus assiduis urbis strepituque molesto?
Hinc tintinans elabitur
audax plus nimio iuvenis florentibus annis
via referta machinis
acer agens birotam gummi turgente pedatim;
quem pone vocem graculi
persequitur reddens cisium flagrante pusillum
vapore naphtae concitum.
Tum latice ignifero raedarum millia mota
immane bombitantium,
raucisonisve tubis, cursu dum vincere certant,
in aemulas clangentium.
His sociant strepitum permagna petorrita molli
instructa sellisternio,
succinea vi praecipiti deducta rotatu
alterna concrepantia.

Id genus, haud dubium, symphonia personat Orcum!
Dum vexor his stridoribus,
ecce per aetherios bolidis praetervolat instar
tractus phaselus aliger,
aures horrifice perstringens sibilo acuto ...
Quî tanta ab ira protegar?
Ac veluti id satis haud habeam, gravis altera causa
supervenit molestiae;
aedes namque meas propter, stratura dehiscens
cum machinis strepentibus
mechanica huc operas adduxit in arte peritas,
quae digna Averno musica
fistuca silices tundunt iterumque retundunt
solumque tum bitumine
instratum paviunt se circumagente cylindro.
O mira nostri saeculi,
has quod delicias mortalibus apparat aegris,
curis et atris allevet!
Me tot ad extremum paene adduxere fragores;
dira feror vertigine:
irritata sonis tantis tolerantia cedit!
Gravis mihi et sodalibus
neuricus efficior, morosus, acerbus et asper.
His excitus concentibus,
eia, poeta, lyram plectro modulare canoram,
comas ut ornes laurea!
O utinam tanto possim prodire tumultu,
silvisque me recondere,
murmur ubi tantum rivi mihi mulceat aures
cantusque carduelium!

Hoc quoque paene vetor, tecto et concludor in arcto
a continenter agmine
obsidione domum late cingente, nec inde
datur potestas egredi.
Curribus oppletae quis enim temerarius ausit
nunc se viae committere,
actis praecipitante fuga per lubrica strata
ab improbis raedariis,
quos vigili in pedites studio exemisse videtur
oblata casus cautio
luctificos contra. Me raedae at pondere tritum
quae suscitabit syngrapha?
O fortunatos proavos, quos tanta latebant
civilis usus commoda,
tanta nec occursûs per iter novere pericla,
domi aut sonores horridos!
Quid porro faciam, iugi bacchante tumultu,
ut victor altum verticem
Aonium scandam, placidos cum Musa recessus
exposcat et silentium?
Illuc automato plaustro non ducar, adacto
flammantibus vaporibus,
undis nec volucri cymba citiore sonoris,
cursum aemulata fulminis;
nec primi impulsa, mox paulo, lintre volanti
corpusculi vi fissilis;
Bellorophontei nec equi pernicibus alis,
audacis astra visere;
aggrediar sed iter patienti vectus asello,
si tristi ab urbe evasero.

Sic placitum Superis, asinos qui pascere plures
iugum dedere commode
Arcadicum circum, faciles ut dorsa poetis
darent, ituris verticem.
Sume libens ergo clitellas, mitis aselle,
et arcta per divortia
carpe viam prudens, ne, quas furor urget eundi,
forte obruaris machinis;
et vehe me puras Ascraei fontis ad undas,
dulci ut quiete perfruar.
Non ibi solus eris; multo resonare ruditu
clivos apricos audies.
Tu quoque cum sociis oncans, dominantis ad artis
exempla fundes carmina.

VALETE MVSAE!

Ergo, obserato, barbite, scrinio
posthac iacebis pulvere sordidus,
ac lenta consumet teredo
ligna tibi tenuesque chordas,

O dulce maestis saepe crepusculis
mihi levamen; sed modo linquere
te cogor, heu sensim iuventae
candidulo pereunte flore!

Si longa rumpas forte silentia
instante tergis illacrimabili
iam morte, cupressi sub umbra
funereum mihi prome carmen.

Late sepulcris it crepitantium
leni susurro naenia frondium,
    lugubre clamans: – O caducae
        gaudia praeteritura vitae!

ROBERTVS GRAVES

TVRDO MERVLA

Vertitur ut torto turbatus verbere turbo,
    turbida verboso murmure, tarde, volo.

HERIBERTVS HOHENSEE

AD TRES FONTES

Trafoi am Ortler

Quo praedicem te, nobilis Ortleri
sublime culmen? Vix oculi mei
possunt nitorem sustinere
perpetua glacie coruscum.

Cautus viator contineo gradum:
edax vorago cor tremulum facit,
flecto genu supplex in alto
ante crucem super eminentem.

Pie precatus sum mihi conscius
nos mox ituros, quo neque nubila
nec tramites scandent. Proinde
prospice, ne neglegas superna!

EPIGRAMMA

Amicae cuidam nuper denique proprium focum constituenti

Ut sapienter agas vitam vereque decoram
  non opus est amplas regis habere domos.
Nam Musae fugiunt aulas aedesque superbas,
  sunt sine laetitia quos premit anxietas.
Quodsi tam modicos praefers habitare penates,
  felix eris proprium constituisse focum.
Laetam, Vesta, mihi reddas dominam atque beatam,
  semper tristitiam vos prohibite, Lares!

A. O. HVLTON

MEDITATIO

Saepe ego, dum sedeo gramen qua vergit ad amnem,
qui rapide, lentis quive movetur aquis,
vitam hominum fluvio similem totam esse putavi,
in mare qui, lustrans milia multa, ruit.
Principio tenuis vis est ambobus inersque,
parvaque moliri parvus uterque valet;
utque vel infirmo tortu meat alter, et alter
errans aspicitur tum titubante pede.
Cursus sed crescit, lapsu magis atque citato
maiora, ut fertur, robora fluctus habet;
sic puer, auctis iam membris, iam viribus audax,
huc illuc trepidat, mutat et usque modos.
Mox, ripas inter, quatitur nunc turbine nigro
unda furens, zephyris nunc recreata silet;
atque adulescentem vel honor vel amor rapit acer,
vel dulcesque dies otiaque ille colit.
Quid vir? non hic torquetur iuvenilibus auris,
fixus sed remanet, quercus ut alta solo;
uxorem nactus natosque domumque, gravatus
in sua considit commoda, seque fovet.
Non aliter rivus iam pascua lata peragrat,
et facit, haud saxis moleve ruptus, iter;
ipsi arbusta creant latices, et margine levi
hic nemus, hic hortos pomaque rubra vides.
Ulteriora petit; segni tandem aequore aperto,
orae se removent, panditur atque fretum;

qua procul apparet pontus, qui, fusus ubique,
irrigat et terras ambit et ipse globum.
Sic senium oppetimus, certae sic linea vitae
linquitur, et motus taedia tarda tenent;
sic fauces leti quaeque ultra limina lucent,
quaeve obscura latent, spes fluitansque, vocant.
Finis adest: aestu flumen se miscet amaro,
oblitum terrae, parsque fit Oceani;
qualiter, ut dicunt, animae datur amplior aetas,
surgit et emoriens participatque Deum.

QVOT HOMINES ...

Sunt qui curriculi tollere pulverem
campus quaque patet rivulus et liquens
molles pellere aquas ludere vel pilis
diligunt; alii nunc iuga montium
explorare student, nunc loca torrida,
nunc orbis nivibus quod latus albicat.
Immissis catulis exigat ut feras
hic silvas peragrat ruraque sordida,
hic longis positis retibus aut dolis
piscator tenebras pervigilat malas.
Commerci assidui lucra operosior
noctes atque dies plurimus aggerat,
at qui fidit agros vomere ferreo
expectat segetis praemia fulgidi,
nec stridore viae vocibus aut vafri
turbatus populi nec strepitu fori.
Nonnullis tenerae lene sonans lyrae
concentus placuit flamine cum tubae,

vel si quis tabulas pingere callidus
mire compositam finxit imaginem;
alter facta virûm dictaque comparat,
et chartis veterum deditus et libris,
causas alter avens pandere conditas
scrutaturque polum signaque perlegit.
Quos regnare iuvat gloriaque imperi,
quid non efficiunt, quid sibi non petunt,
ut, bellique duces pacis et arbitri,
ad caelum veniant atque deûm domos?
Pectus perdomuit flava Chloe meum,
vultu marmoreo numine pulchrior,
cuius dum radiat risus amabilis,
non ars, non studium me tenet alterum.

AD FESTVM

Caeli iam densis obtexit Iuppiter arcem
   nimbis et arva saeviens
asperat, ut non quos prius exsplendescere flores
   vernis diebus vidimus
nec quas aestivi frondes aluere tepores
   silvasque agrosque vestiant,
rura sed horrescant hiemali umore refuso
   geluque sordeant malo.
Nunc decet ad mensas pomisque cibisque repletas
   laetis foveri cordibus
et, dum fervemus Bacchi Cererisque liquore,
   alma advocare numina,
aut, qua lignorum lucens focus ardet acervo
   caliginemque dissipat,

dulci colloquio vel, quas finxere poetae,
pulchris teneri fabulis.
Tristitiam tu, Feste, fuga curasque remitte
flabris levandas fortibus,
crastina nam obscuro velamine tempora nobis
condunt dei obducto boni;
dum te, care caput, fugiunt noctesque diesque
annique cedunt aurei,
utere sorte tua neu pectore sperne maligno
praesens quod hora sufficit.

HVMBERTVS A FLORENTIA

EPIGRAMMATA

FILII PIETAS

Dives homo, taetrae iam iam prope limina mortis,
sic aperit natis ultima vota suis:

‹Quae bona possideo, vobis nunc omnia lego;
postremum donum quod patris edat amor.

Me tamen absumpto, confestim mille monetas
vestrum quisque meo collocet in feretro.›

Maximus hinc natu defuncti mittit in arcam
ex auro nummos mille suapte manu.

Frater at e busto nummos mille abstulit alter,
bis mille ex charta substituitque pius.

Tertius hos etiam cepit, scidulamque reliquit:
‹Ter – rogo – mille patri solvite rite meo.›

SAPIENTIA PATRIS

‹Cur tibi barba, pater, nigra est canusque capillus?› –
‹Viginti est annis, pupule, barba minor.›

LINGVAE AEGRITVDO

Medicus: Tu multa, domina, indiges quiete.
Mulier: Sed meam inspicias, amabo, linguam.
Medicus: Inspexi: haec etiam fac ut quiescat.

MORBVS INSANABILIS

Vir quidam doctus, cui valde garrula coniux,
turbine verborum nocte dieque dolet.
Quare vix iuvenem surdam mutamque repertam
ducit, et uxori destinat in famulam.
‹Sic aliquando – putat – discet mea nupta silere
et modicum tandem pacis habebo domi.›
Quam vanam spem! dum non vult hera parcere voci,
ancilla est – credas? – orsa repente loqui.

DEBITOR CREDITORI SVPPLEX

‹Parce mihi: nondum mea solvere debita possum,
cum quid manducem saepe nec inveniam.›
‹Ne deses fueris: tempus pretiosa moneta.›
‹Egregie faris: tempore retribuam.›

VNVS ALIO CITIVS

Primus cursor:

Insilio ocypedi, spatium voro, pervolo terras,
sidera dum sistunt obstupefacta gradum.

Cursor alter:

Ast ego currendo quovis cum fulgure certo,
nec mea dum fugio me valet umbra sequi.

AEMILIVS LACOVRT

LIBERAT POESIS AMANDO

Aetheriae tanquam radient mysteria vitae,
me superam sortem spemque fovere iuvat
vere novo, florum, rosea aemula, spes mea splendet,
sic in pampinea palmite gemma virens
quae fusca saepes stat fronde et aspera spinis,
purpureo passim plurima flore nitet.
Sic post laetitiam luctus, labentibus annis,
sic humana aetas aestuat, unda fluens.
Fontis aquae arva petunt decursu plana fugaci,
nostrae sic vitae tempora praecipitant
cursum igitur, fons, matura, cito linque cacumen,
uber aquis flumen labere, prata riga,
aret ager, sitit herba: fluis, tunc omnia rident;
languenti sucus funditur almus humo
sic clemens vates descendat culmine summo,
largis cum donis, lucida verba ferens:
praesertim miseros sincero pectore curet:
ingenium praestans perbene corde valet.
Ante omnes vates exsultat totus amando,
tam pulchro dignus nomine: liber amat.

ARTVRVS GVIDO LEE

POEMATIA

I

Prata iam bruma fugiente lustro,
qua piger lapsum sinuat lutosum
Camus et ripas humiles liquore
  levat edaci,

Cum mihi curis vacuo superne
lenis auditur sonor: ecce, tranant
quattuor pinna crepitante caeli
  caerula cycni.

Murmur alarum duplicatur usque
dum caput supra properi feruntur,
deinde rarescit minuensque longe
  languet abitque.

Nempe sub mortem cecinisse cycnos
ad vada abiectos memorant Caystri:
Musa vocales tamen et volatus
  callida reddit.

II

‹Illuxit olim candidior dies,
olim usitatum sol radiis magis
  miris inauravit cubile,
    cum tenero puerile lusu

Gaudebat aevum. Quam propere tamen
maturitatem pervenientibus
contristat antiquum serenum
umbra magis magis ingravescens!

Nugamur et nunc: verum adamantino
felicitatis ianua cardine est
occlusa, ianitrixque servat
propria nostra fores imago.›

Haec somnianti Musa mihi refert:
‹Nugator, ergo sol tibi fit niger?
Commenta suspiras. Virorum
vivere nec simulare vita est.›

III

Nocte per marmor vitreum fenestrae
conspicor magnum numero carentes
inter Oriona faces silenti in-
cedere mundo.

Ille venator vafer, ille amator
Deliae – nec tu, dea, noluisti –
livida pulchri periisse fertur
Arcitenentis

Fraude. Forte aestu rapidoque cursu
languit; litus petiit propinquum;
desilit saxo gelidisque laetus
mergitur undis:

At caput crinemque nigrum natantis
Phoebus agnovit procul, et sorori
dixit ‹en illuc ubi nigrat aequor
  derige telum›.

Risit et certam nimium sagittam
torsit, heu, ignara: levi cadaver
fluctus impulsu vagus indecore
  trusit in algam.

Quod potest, caelum dat amans amato:
ille securo revolutus orbi
nunc voluptates animo et dolores
  despicit aequo.

FRIDERICVS GVALTERIVS LENZ

VTER EST FORTIOR?

Cur non eloqueris? – Quid me vis dicere? – Curae
me tibi, non aliam cor tetigisse magis. –
Iam dudum didici vehementes abdere motus:
si tu non sentis, tempus in omne vale. –
Non faciam, satis est quod ais, nunc laeta triumpho,
fassus es, nunc taceas tempus in omne licet. –

Audiit alma Venus, certantibus adnuit atque
‹vir› risit ‹dominus tempus in omne cliens.
Sic volui, bene sic, hac mundus lege rotatur:
exultans simulet se regere: illa regit.›

LOQVITVR VOLVPTAS FRIBVRGENSIS

Quid tibi subridens promittam, stulte, requiris?
A me, si nescis, discere cuncta potes.
Noctes atque dies calidos sine fine perustus
Tantalea numquam restituere siti.
Stagnis e lentis mecum, sum nempe Voluptas,
scandes ad superos, altius inde rues.
Sed sapiens numquam, dulci prohibente veneno,
fies, namque urget quod superare nequis.

ARMINIVS LIBERTVS

EPIGRAMMATA

PAX TRIGINTA ANNORVM?

O utinam triginta annos pluresque maneret
aevum multiloquax, deterius prohibens!

LVNAE POSTERIORA

Femineis tot podicibus large patefactis
virgineae lunae posteriora iuvant.

PAX AETERNA

Usque gerant pugno minitante theatrica bella,
contra latrantes more canum solito.

SCVLPTORI CVIDAM

Qui rudibus saxis taeterrima corpora fingis,
dic mihi, qualia sint, quae tibi nocte placent.

MIRA TRIAS

Haec est mira trias: operis miserabilis auctor,
vilis laudator, credulus insipiens.

DEXTERA LAEVAQVE

Cordis fallacis secreta manus manifestant:
altera porrigitur, altera te iugulat.

LVPI MITES

Pacifice servare volunt quod vi rapuerunt.
Sic est pacificus ventre tumente lupus.

DVLCE SECRETUM

Iam non casta viro coniux secreta fatetur.
Contio cognoscit: plaudite, sum gravida!

‹... OMNES IN CORTICES›

Clandestinus amor vehementius igne flagrabat.
Quantus inest ardor, si patefactus amor?

PHILOSOPHO CVIDAM GERMANICO

Abstinuit laudabiliter verbis peregrinis,
purificata tamen lingua minus capitur.

VINCENTIVS LOPEZ-SOTO

AD PVERITIAM PERTINENTIA

I · POSTRIDIE NONAS IANVARII

Pueri omnes dormitum contendunt
cito hac nocte, corde insultante;
dicuntur ipsis in urbem venire
    Magi Orientis.

Nonne recordas? O tempora illa!
Sciunt infantes Magos Orientales
equis et cibum, aquam inventuros
    in prominente.

Nonne recordas? O tempora illa!
– Frater, num dormis? – Tace, mea soror;
ne veniant reges, somno experrectis,
    fugiant illi. –

Nonne recordas? O tempora illa!
O dies magna post noctem cum stellis!
Modo in aulis, modo sint in casis,
    corda se fundunt.

Sane recordas; o tempora grata!
Videsne tuos filios gaudentes?
Hôc maius gaudium per orbem terrarum
    numquam videbis.

Pueri quinque in viarum ora;
pueri vagi ibi consedentes,
ludere chartis, chartis lusorum,
maledicendo.

Fulgent, enitent inter crassaturas
oculi illi; parum nunc connixi,
vexet cum eos convoluti fumus,
fumus tabaci.

Sic ita vagi pueri agitant
gaudium nimis, nullos honorantes,
neque parentes, omnia et sacra
simul ac rident.

O triste spectrum magnûm civitatum!
Ubi humani pugnant, caeco igni
valde soluto, pueris desertis;
infelix spectrum!

Quae ita crescis, o infantia tristis!
Ambiens aura putrida praecingit.
Nefas! quod habes idem ius supremum
passeris, floris.

N. MANGEOT

PVERITIAE MEMORIA

Ad scholam nuper steteram canentis
parvulae turmae, per aperta vitra
carmen audivi: ‹Faciem benignam
sol mihi verte.›

Aethra per stantem sonuere voces
praevio cantu fidium magistri.
Mente commotus fueram canoro
carmine totus.

Nam scholae limen puer atterebam,
cum rosis labrum nitidis rubebat
et sequebatur puerile corpus
umbra minuta.

At mei sensim cecidere crines
verticis, fluxit velut umbra vita.
Cur modo cantant: ‹Faciem benignam
sol mihi verte?›

NOX

Navigat atra super nox aequora mersa sopore,
mota soporiferum concinit unda melos.
Custodum similes stant montes litora circum
astrorumque gregem candida luna vehit.
Tandem deposui curas, quibus acre gravabar
optataeque diu munere pacis alor.

VESPER

Mortuum solem gemit alba nubes,
sola quae tranat mare purpuratum.
Offerunt flores patinis coruscis
tura suprema.

De lacu scandunt nebulae profundo,
stant ut in somno calami trementes.
Saepe ploratus per aquas euntes
vadit amarus.

Iamque se densis oriens tenebris
contegit totum, sed in occidente
stella solatur subito coorta
luce serena.

HIEMIS SOLACIVM

Tecta domus rigidis conspersit bruma pruinis,
sed tepidum remanet vile cubile meum.
Tristis hiems vitae fecit mea tempora cana,
cor iuvenile tamen sanguinis unda movet.
Deperiere rosae, rubrae quae vere nitebant
inque meis malis plurima rubra nitet.
Oras longinquas petiit Philomela canora,
una tamen cellam carmine grata replet.
Verae laetitiae flumen siccatur ubique,
unda tamen pectus unica dulce beat.
Aetas nostra gemit magno perculsa timore,
me tamen alma quies paxque serena tenet.

Manium dormit statio suprema,
quae procul magna requiescit urbe.
Crux crucem tangit tumulique fulgent
flore recenti.

Heic tacet clamor silet et tumultus,
heic abest mordax et acerba cura,
heic humi tandem iacet et superbi
culmen honoris.

Omne discrimen tumuli recondunt.
Lazarum iuxta cubat iste dives
cumque lasciva meretrice dormit
candida virgo.

Quid iuvat regem tenuisse sceptrum?
Quidve gemmato cubuisse lecto?
Se cibis lautis onerasse? Mansit
nil nisi pulvis.

Pauperem ditat lacerata vestis,
virginem casti decorantque mores,
quae diu pressit male crux parentem
hic micat auro.

Dissipat nubes subito coorta
Luna nocturnas tremulaque Manes
luce conspergit. Levis aura plorat
flore recenti.

IOSEPHVS F. MARQVES LEITE

BRASILIA ET PAVLOPOLIS

Nocte festinus populus dieque
per vias stratas, fluvii instar, urbis
ambulat, currit, fluit inter alta
tecta domorum.

Fervida furnos fame flamma cremat
et rigor ferri rapidaeque serrae
mutuo strident tenuesque fumant
mille camini.

Et rotae iuges celeresque gyrant
improbo ductae varioque ritu
mollia et dura et liquida et minuta
omnia mutant.

Atque fornaces chalybis liquatas
ignei massas ibi provomentes,
machinae, fabri, et opera omnifariam
adspiciuntur.

Vos metallorum domini probeque
principes artis bene promeretis
officinarum patriae vocari
Brasilidarum;

Quique tellurem rubeis serendo
coffeae granis arabum feracem
nos locupletes potuistis auro
reddere multo.

Vosque DVCENTES minimeque DVCTI,
undique et semper nova persecuti,
semper heroes rediistis, almi
Paulopolitae!

Incolas inter nemorum feroces
primus in silvis penitus remotis
Bartholomaeus Bonus Ananguera
signa reliquit.

Sera Libertas, tamen alma! Trinus
civibus nostris venerandus adstat
coetus ANDRADVM celeberque fratrum
plenus honorum.

Huius ingentis patriae superno
atque divino suboles protecta
amplius quidnam poterit timere
Numine tanto?

HAROLD MATTINGLY

VER ET VITA

Ver redit et tenero cinguntur gramine prata
  solis nitore fulgida;
carmina et inter se certant renovare volucres;
  gaudent virecta carmine.
Viribus aucta novis annorum forma priorum
  certo recurrit ordine.
Vita hominum similis terris iam tempora vertit,
  fati secuta terminum.
Gens hominum laeta est, spes contemplata renatas,
  carpens priora gaudia.
O utinam maneant quae sic redeuntia fallunt,
  vano decore perfida.
O utinam redeant quae tempora dicimus auri,
  casta sequente virgine.
Tunc valeamus enim securam degere vitam,
  certi futura temnere.
Est tamen, est – eheu! – quae vis negat invida nobis
  vitae perosa gaudia.
Spes nimias resecare decet, sic vulnera fati
  fortes iniqua perpeti.

PAVLINVS MENNA

IN BACCHUM

Elegia

Si mihi, Bacche, petenti adsis dexter faveasque
  numine si fiant vota secunda tuo,
non iuvenem te mente levem, non corpore lentum
  effingam, capiti cornua nulla dabo.
Non te iam madidum musto somnoque sepultum,
  iactantem ad cyathos turpia verba canam:
non dicam ut potus soleas arcana referre,
  ut dubium titubans fersque refersque pedem;
sed clarum gravitate virum, sed casta loquentem
  te memorem egregia saepe nitere toga.
Quin purae sectator aquae, quin desidis expers
  diceris somni carmine, Bacche, meo.
Mox etiam cinctas narrabo ex ordine laudes,
  quas peperit virtus bellica Marte tuo.
In primis referam nigris ut victor ab Indis
  ipse triumphali comptus honore redis:
devictasque urbes recolam, populosque subactos,
  ductosque ad currum barbara vincla duces:
nec sileam forti divulsum Penthea dextra,
  nec sileam exitium, stulte Lycurge, tuum.
Atque novos satyros vino thyrsoque furentes
  instituam binis ad tua sacra choris.
Non Ariadnaeae iucunda incendia formae
  praeteream sociis addita sideribus.
Utque frui possis aeternum coniuge cara
  contra ipsam certe, te quoque constituam.

Si tantum vati liceat, si carmina tantum
nostra valent, celeri carmina texta manu,
mox sequar, ut semper, te quo vestigia vertis.
Te bona pax, hilaris te comitetur Amor.
Ut lassis requies, moestis ut dulce levamen,
ut lac infantum diceris esse senum.
Ut sine te raro contingant gaudia plena,
utque tuis spiret purpura nata genis.
Demum non vitis posthac tua tempora cinget,
sed Romana dabit laurus utrumque decus.
Debita laurus erit, saevos quod fuderis hostes:
debita, quod Phoebum Pieridasque colis.
Permessi perhibent te saepe ad sacra fluenta
venisse, et lymphae posthabuisse merum;
necnon ad numeros Musarum dulce canentum
sopitum viridi procubuisse solo,
et tecum potos una duxisse poetas.
Ennius ipse fuit, Maeonidesque comes.
Ipse comes fuit et Flaccus, qui te sine numquam
pulsavit Latiae dulcia fila lyrae.
Fac, Lenaee, igitur, ne sint, precor, irrita vota;
quae bonus e medio pectore promit Amor.
Cuius me pietas servavit fidaque dextra,
cum peteret nostrum bellua dira caput.
Et cum Scylla vorax rapidis demergeret undis,
absortum tuto litore restituit.
Sic tibi fecundis vindemia laeta racemis
impleat effuso grandia labra mero;
sicque tua niteant argentea cornua fronte,
ut possit merito cedere Luna tibi.

IN CICERONEM

Epigramma

Quis valet Arpini Ciceronem aequare loquendo
  qui fuit insignis, fama decusque fori?
Princeps eloquii fuit olim iure vocatus,
  namque quis eloquium nunc Ciceronis habet?
Sedavit nunc bella fera, et nunc conciit ipsa,
  res miseris raptas auxiliumque tulit.
Quisquis virtutes eius describere vellet,
  splendorem Soli ferret aquamque mari.

AEMILIVS MERONE

CANICVLA

Est via quam terimus deserta: bitumen adhaeret
in nostris soleis: hic illic paene dehiscit
et rimas monstrat nitidi sub lampade solis:
in caelo liquido nubecula nulla pererrat.
Pulverulenta onerant ramos pendentia poma
arentque in campis segetes frugesque reclines.
Nunc tacite nunc verba serentes imus anheli,
dum sudor talos ad nostros manat abunde.
Sistimus, interdum, si quid nos recreat umbrae
non procul a saeptis quae sunt in tramite rara.
Aestus autocineta volant cita nescia nostri:
continuum, propior, foliis in caespite denso
tecta, cicada gravis diffundit in aethera cantum.

NIX

O rem mirificam! Viae domusque
arboresque simul teguntur altae
candida nive: Vesuvius gradatim
albet: rura replentur atque tecta.
In quemcumque locum meae moventur
pupulae, video nivem micantem,
quam vestigia rara paene foedant:
in foro volitant pilae caduntque
fractae, dum pueri suis cachinnis
implent aethera cursitantque laeti.
De colu quasi lanulae cadentes,

flocci flamine devolant ab alto
atque dulciter in solum recumbunt.

IN MONTE CAVO

Est smaragdineum latus iugorum,
per quae serpit iter salitque opacum.
Supra Monte Cavo moramur: ampla
fulget planities: magis corona
collium viret ultimo nitore
solis occidui, rubente caelo.
Pax quiesque locum tenent profundae:
frigus hic madidos relaxat artus:
Arx Papae similis gregi videtur:
sunt lacus Nemorensis et propinquus
Albanus veluti scyphi nigrantes
sub caligine densiore. Primae
stellae iam renitent tremuntque caelo
et colles violae tegunt colores,
cum Romam petimus: viis fragosis
halituque gravi calentis urbis,
Mons Cavus viridans quiesque silvae
optantur zephyrique flamen almum.

VILLA ATESTINA

Villa Tiburis est opus superbum:
e xysto patulo comas virentes
ramorumque tholos videmus, unde
ad nos perveniunt aquae susurri.
Lente digredimur viaeque praebent

umbram frigidulam sonumque vivum
fontium laticis: vetusta signa
areas decorant forisque lymphas
emittunt: calamis pares, figura,
organi saliunt aquae sonantque
in quaque aedicula madent abunde
muscosae statuae: nemus per omne
it symphonia spiritum serenans.
Lisztium memoro sono loquacis
aquae quae fluit, exilit, recumbit,
spumat multimodis, nivet, iocatur.
Iam sol arboribus rubescit altis:
cum nobis, simul, exeunt, gradatim,
advenae: resonant breves mesauloe
et conclavia pluribus loquelis,
donec dividimur viasque inimus,
laudantes hominis Deique mira.

LABVNTVR SIDERA

Puellae iuvenesque pervagantur
litus undisonum prope et loquuntur
serentes digitos manusque laeti.
Nox est fulgida deciduntque, passim,
saepe sidera de nitente caelo,
metalli calidi velut favillae,
quas ictus generat cietque fabri.
Quot sunt sidera quae cadunt, puellae
tot dant basia totque verba cara
quaerunt dulciter a suis amatis.

IOANNES IACOBVS MEVNIER

CYRNVS

Caeruleos fluctus propere cita navis arabat
omnino placidi maris, astraque noctis abibant;
namque redux Aurora nigras dissolvere nubes
aequora cingentes lucis tentaverat ictu,
undisonum littusque dies lustravit oborta.

Adversum scopulos vaga frangebatur et unda;
ex illa resonans in saxo spuma ruebat,
atque exsultabat, felix, ad luminis astrum.

Insula magna erat Cyrnus, quoque Corsica dicta
quae stabat ante ratem, nobis pulcherrima forma.
Miscebant fluctus oculis et culmina circum
caeruleum roseumque, procul variasque colores.

‹Splendida tam nobis esto nunc hospita, Cyrne!
Magno sub caelo liceat reperire quietem
mortali misero fractoque laboribus urbis;
deprecor, iratis et sensibus otia praebe.›

Intravitque sinum tetigit navisque viator
continuo portum, cursum, secura, facessens;
findenti pelagus via perlustrata carinae.

Tunc, oriente die, radians pellensque sopores,
mirantes oculos Aiaccius adstitit ante.
Inde viatores pedibus calcare silices
et montis tenues auras spirare libenter.

Aestivus ardor recreabat corpora solis
atque ibant reparata statim sine pondere crura.
Insula dein nobis octo peragrata diebus.
Nos tamen at mollis siccabat arena iacentes
quum fuscabamus nitidae data pectora luci,
postquam firmarant cito dulcia balnea nervos.

Heu! Heu! Viva fugax tempus velut unda recessit
et nunc formosam volat hora relinquere Cyrnum.
Iam velox iterum navis transire parata;
cras ad Massiliam sine nisibus aequora scindet
perpetuo curas, ingrata, feretque cavernis.

IOSEPHVS MORABITO

AD AETNAM

Te primum roseo, maxime montium,
lustrat sol oriens lumine; te ultimum,
undas Oceani dum rutilas tenet,
maesto amplectitur osculo.

Quae subiecta patent tu tacitus vides;
unda hinc caerulei murmurat aequoris,
illinc Trinacriae ceu nebula levi
terras prospicis obrutas.

Quae cernis, tibi sunt omnia cognita.
Cum nondum aequoreo gurgite ad aethera
exertare caput ausa erat insula,
cernebas, pater, omnia.

Paulatim uda maris roribus exstitit
tellus acta soli viribus intimis,
et circum arboribus tempore se induit:
cuncta haec tu, pater, aspicis.

Posthac fracta tuis terra boatibus
consedisse gravi murmure dicitur,
ruptas ac medium prosiliens fretum
cautes sicelidum alluit.

Vidisti et populos armaque regnaque ...
Saeclis corruerunt cuncta fluentibus:
aeternum, pater, hic dum caput erigis,
spectas desuper omnia.

Ast olim Catanae moenia concident,
quae subiecta iugo conspicis arduo;
colles arva petent celsaque culmina
imos Oceani sinus.

Immensum aequor erit terra ubi nunc viget
exornata deis multiplici ubere;
glaucis in pelagi finibus hic erunt
solum tuta silentia.

In vasto, Aetna, tamen tunc quoque marmore
signabis piceis vorticibus polum
horrebuntque tuis ignibus undique
quassati maris aequora.

VIGILIA

Me fugies semper distentum, Somne, grabato?
Nulla mihi dabitur nocte calente quies?
Vocibus usque viae resonant strepituque rotarum:
risus ubique volat, clangor ubique strepit.
Ecquando tantum cessabit murmur in urbe
seque dabunt, Morpheu, corpora fessa, tibi?
Me verto huc illuc: totus sudore madesco:
sunt calida, Aetna, tori lintea ab igne tuo?
Hinc hominum veniunt voces hilaresque cachinni
auriculas implent ac vigilare iubent,
coniventem illinc culices mihi brachia pungunt:
si qua levis somni panditur ala, fugant.
Quot species mentem tentant hinc inde volucres
atque abeunt redeunt decipiuntque diu!
Desinite o tandem me, inania, fallere fessum:

nox medio vigili pendet ab axe mihi.
Vos quoque cum lituis, culices, me linquite vestris:
ex aliis venis praeda petenda, reor.
Morpheu blande, veni! Tua si olim numina laesi,
posthabuique tibi candida dona lyrae,
non faciam posthac: veniam praebere roganti
ne dubites: oculos flamine tange meos,
flamine quo voces taceant per cuncta loquaces,
flamine quo culices spernere mi liceat.
At, quae multa tibi lethea papavera, sucos
horum tu valida comprime, Somne, manu,
hosque omnes, qui nocturno te tempore spernunt,
conde soporifero flumine, conde, tuo,
atque tuis vinclis medius sol crastinus arctis
cernat devinctos, cernat et ipse cadens.

LAËRTIADES

Interea, vergente die, de more bubulci
ad fontem, quo Laërtes advenerat, albas
herbifero virgis ducebant tramite vaccas.
Dum gelido vaccae saturantur fonte, salutes
dant homines regi et multa hinc atque inde seruntur.
In terras tenebrae circum cecidere vagantes.
En sidus tremit in caelo, duo sidera, mille
sidera per sudum passim trepidare videntur;
ultima lux tenuis, tenuissima solis imago,
limite in extremo caelique sub axe moratur.
Cantus fundebat grillus; timido abditus herbis
incepit querulas ranunculus ore querelas
dum velut ignoti fluitant modulamina mundi.

Ad fontem rex Laërtes sermone loquaci
usque morabatur paucos fidosque bubulcos;
immemor at, reliquis prima sub nocte remotus,
filius in pavidas umbras vertebat ocellos
Oceanumque nigro velatum tegmine noctis
puppes mente videns pandentes vela per altum,
postremique orbis terras pontumque sonorum –
hunc ratibus nullus tentarat, lumine nullus
illas lustrarat –, nautis minitantia monstra
et pelagus sine fine ingens, Mortemque latentem ...

(versus 170–192)

EPIGRAMMA

DE CVCVRBITA

Ne gilvos pandas crassosque, cucurbita, flores,
  neu cirris teneas proxima quaeque tuis;
ne patulis tantum foliis conquirere certes,
  nescio quae ostentans robora magna, soli;
numquam nixa tuis continges viribus altum,
  frustra solis aves carpere et ipsa iubar.
Quid sis, quid valeas, immensa cucurbita, novi,
  quemque facis fructum nil mihi, inepta, sapit.
Cur, vix te vidi, memori tum mente recurrit,
  qui criticus fatua carmina mente probat?

I. K. NEWMAN

CIRCVS PAGVM VISIT

Pueri venite laeti, veniant iocus et amor,
casa deseratur omnis, pater adsit et avia:
via plena – non videtis? – tigribus, grave typanum
sonat usque quaque: circus viride ut solet petit
spatium nemusque pagi medium, tubaque vocat.
Elephantus it superbus, quatiens pede lapides:
dedit aridis camelos regionibus Oriens:
saliunt, cient cachinnos salaputtia levia,
neque versicolor amictus sinit aufugere oculos
quo nympha (nam puellae decus haud puto tribuas
solitae nitens et astris magis et parietibus
vitreis domus moventis tabulas ubi coluit
populus deas quot ad nos exportat America)
in equo refulget atro, vaga quam sonipedibus
mannis cohors citatis sequitur comes agilis.
Etiam ferunt leones sua vincula domiti,
reboantque carcere arto, fera pectora rabies
quotiens stimulat inanis: procul hinc patria prior.
Abeunt, magis vicissim cava cymbala recrepant,
validusque pelle pardi Vir habet grava manibus
onus extulitque ferrum: rubor os simul iniit:
(citius notans lacertos spirat tenera Chloe
iuvenesque pulchra pagi nihili facit animo).
Ubi iam locum revisunt grege quem sibi proprium
circus tenet quotannis, sua carbasa religant
sudibus parantque sedes rota quas rapida trahit
celeri ferente plaustro Scythicis itineribus.

Ibi gaudium iuventus agitata reperiet,
ibi gratior puellas decorabit humilitas,
ibi et innocens voluptas et amanda memoria,
oblivioque fati miserabile cor habet:
ibi paululum quiescet genitrix, ibi genitor.
Pueri venite laeti: circum platea capit,
neque, si dies videndi semel iste perierit,
cito dulce tempus anni reparare poteritis:
data sors benigna pago: iubet illa, fruimini.

GERMANIAE REDIVIVAE

Proice tela manu, sanguis meus.
AENEIDOS liber 6, v. 835

Iam neque, Pierides, solitum deducere carmen
vos iubeo, neque prata iugis communia sacris
quaerere. Iam maior vobis patet area, campus
latior exspectat: iam res vos postulat alta,
totius et populi vocat in certamine fatum.
Nec lacrimas teneo quotiens, Germania, sortem
(infelix patria et flectu dignissima nostro!)
aspicio, tibi quam saevae misere sorores.
Nec mirere, precor, quare sors ista Britannum
tantum commoveat: num fratri gaudia fratris
tristitiae? Num vos in viscera nostra volentes
torsistis ferrum vel nos tot vulnera laeti
reddidimus vobis? Pereat qui primus in arma
nos furor induxit pariter: magis ille hymenaeos,
ille domos, magis ille focos curasset et aras
intactas, et adhuc florentis munera pacis,
quam stimulasset atrox iras et bella, nefando

sanguine bis nostrum iam depugnata per aevum.
Quod si nunc levibus numeris indignus amorem
possim explere, novem mihi si Iovis edere natae
permittant animi sensum carosque dolores,
ad summos videar parvus consurgere caelos
et miser immensas alieno robore terras,
peior Atlas, umeris portasse minoribus audax.
Fert animus causas tantarum expromere rerum,
cur decimo veniente decem post altera saeclo
(sic bene nos memores numeramus tempora Christi)
insula cum felix foret haec, Germania felix,
riderent Musae, commercia vecta per orbem
divitias et opes augerent gentibus omnes,
tam subito, fulgur fallaci quale sereno,
irruerit belli populis taeterrima pestis,
nec prius aufugiat quam milia multa virorum
conculcet luteis Belgarum marcida fossis.
Non aliunde petas hominum quam pectore causam:
ex quo mortiferae fructus tulit arboris haustus
letum, atque omne malum mortali corde quod haeret,
nulla nos fruimur nisi Christo dante quiete:
nec dedit hanc Christus nisi Crux accepta petenti.
Hinc illae lacrimae: dubii pendemus, an illuc
ad Christum curramus, ubi Crux territat umbra,
an potius mundi solacia dulcia praestent –
nequiquam: sic usque novi mutamur, et ipsis
ut nihil in promptu est quod et amplius occupet hora,
tum, quoniam nobis vitam Fortuna beatam
deneget, una omnes placuis delere ruina.
Sic videas pueros inter se ludere parvos
litorea, ponti crepitat qua fluctus, harena,

moenia qui ducunt castellumque aggere cingunt:
hic tamen alterius si pulchrius exstruat arcem
arce, rubor vultum suffundit, lacrima lumen,
nec mora, sed totam subito pede proruit urbem.

Haud aliter tibi tum, dilecta Britannia, fessae
longarum serie laudum, quae cuncta pararas,
et finem imperii super et Garamantas et Indos,
felix prole virum, felix virtute, movebas,
exciderat non hos Christum meruisse triumphos,
et, si regna rubro sub signo lata notaret,
sanguinis esse tamen Sacri, non unius illud
vexillum populi. Cur non commune volebas
quidquid ubique Deus dederat tibi, reddere cunctis?
Cur non Europae sociatis viribus ingens
auxilium porrectum aliis, qua solis iniqui
limite torrentur gentes vel turbidus Auster
qua mare Pacificum diverso sidere torquet?
Non ita tunc visum est: secura potentibus undis,
quas tibi tradiderat pelagus iam mite regendas,
omnia credebas fatum domuisse Britannis,
omnia vos Libris, cives, donastis et auro.

Sed neque te culpa, Germania maxima, solvo,
quae pollens opibus, doctrinis, artibus almis,
praecipue sonitu si quem symphonia ducit
pingue tuba stridens vel longo flebile cornu,
dotibus et tantis, tantis decorata tropaeis,
non tamen audebas placidae confidere paci,
qua tibi iam totum vicisses splendida mundum,
sed Scythicis infesta viris, infestaque Gallis,
(a quanto melius patereris laesa dolorem!)
otia quod dederant malebas perdere bello.

Iam vero Stygiis quae monstra egressa tenebris
ediderit pratis errans Bellona cruentis
quis potis enarrare orasque evolvere pugnae?
Sed quidquid proavi gessere prioribus arvis
hoc tamen hoc peius, quod nunc sollertia mentes
exagitat rabidas: quaerunt sibi fata periti:
mille vias norunt leti: iam vivere durum est.
Sic annos tolerant mortes terraque marique
quattuor, et tandem sua quisque ad moenia cedunt,
ambo defessi pariter: tum foedere iniquo
desertum faciunt atque audent dicere pacem.

Interea latebris emissa Licentia caecis
prosilit, et mores priscos legemque modumque
de medio tollit: nec mirum: mortuus omnis
et pater et frater frenos qui intendere posset,
mortuus Europae flos optimus, alta iuventus:
et quot vere novo micuere papavera campis,
sanguine tot credas fluxisse cadavera rubro.
Tum malesuada Fames populos et turpis Egestas
obruit: hi pauci qui iam de caede manebant,
esuriens plebes facti, communis hirudo
aerari, damnumque suae pro milite turbae,
vix tranquilla ferunt: bello nam quisque peribat
ut moriens tegeret sibi pignora cara domumque,
pace perit coniunx nullo discrimine et infans.
Hinc avidi vertunt aures ad dicta maligna
et sorbent animis falsae praeconia linguae,
et scelus impavidi cupiunt pro pane pacisci.

His opibus fretus qui Dux emerserit umbris
tartareis, quae sit summo versata senatu
pestis, et ingruerit Iudaeis impius horror,

castrorumque nefas et olentes carne caminos
dicere non ausim: Germanis maxime vates,
maxime Germanis scriptor quem viderit aetas
nostra, magis nobis vestri vos crimina chartis
monstrastis populi, cum verba tumentia vultis
spesque nimis magnas Doctoris scribere Fausti.
Demens, qui poteras tanto servire tyranno?
Qui poteras meritum, Germania, ponere fastum,
immemor ut laudis tam sordida regna probares?

Ast ego cum vestram, Germani, carmine culpam
expono, nolite precor, me credere totum
ad vos horrendi crimen traducere Martis.
Nam neque nos sceleris puri nec nostra, nec ullos
non tetigit foedos peccati noxia diri.

Ergo omnes rursus belli discordia cepit,
rursus et in fluctus tempestas saeva resorbet.
At postquam nubes sol mitior abstulit atras,
excidium, strages, et plurima mortis imago
ante oculos rursus surgit. Nec sola movebat
quae solita est clades. Scythicus nam presserat ursus
dimidium terrae complexus in unguibus artis,
atque loco posita est aquilae falx rubra ferocis.

Quis ego te lacrimis scissam, Germania, plorem?
Quive modus luctus? Quamquam bona munera pacis
sub duce nunc meliore tenes. O cruda senectus
sit viridisque viri qui te tot funera passam,
post caelique minas fusci nimiosque timores,
restituit luci tamen una parte vigentem.
Sed neque tu poteris credo, Germane, quiesse,
dum feret arma pius frater contraria fratri,
nec geminus gemino divisus Castore Pollux,

aut Italus magnae si perdat moenia Romae.
   Sit tibi nunc frater dum te dolor opprimet ille,
sit tibi perpetuo frater, Germane, Britannus:
sanciat hoc purum foedus concordia Christi:
nec tu, quod tibi opus posuere, Britannia, Parcae,
reice, nec socios certe peritura relinquas.
Patria sit patriae coniuncta, sodalis amico,
exemplumque volens mox tota Europa sequatur.
O verus populis sim vates. Nullus in urbes
inciderit posthac terror. Da, Christe, quietem
gentibus exhaustis ferro bellisque nefandis,
omnipotensque probet Pater aethere vota sereno.

C. ARRIVS NVRVS

AD OVIDIVM

Limatum lepido currit tibi distichon ictu,
ast oneras nimia compede pentametrum.
Exigis ut versus sit sola bisyllaba finis,
desinere et prohibes, Naso, trisyllabice.
Dura satis res est Latios conscribere versus
et sine inutilibus sollicitudinibus!
Quare ne pudeat nostrum concludere versum
neu monosyllabice neu polysyllabice.

AD PETRONIVM

Sermonis lepidi te diligit omnis amator
necnon cui vulgi candida lingua placet.
Concubitus, rixas, technas nam carmen inausum
mirifica nobis exprimit arte tuum.
Surgit amor, dein flaccescit: gravis ira Priapi
persequitur miserum, qui reus usque vagat.
Proposita est etiam locupletis libera cena
liberti, quo nil stultius esse potest.
Hic rhetor blaterat, nugax canit iste poeta:
et iuvenum mores discimus atque senum.
Ostendis speculum turpi sic, Arbiter, aevo,
atque in perpetuum, docte poeta, viges.

NAVIGATIO

Mira quies pelagi. Non ullis concita ventis
aequora fulgescunt; nullis agitata procellis
en, regerunt radios Phoebi de sidere missos.
Fumificam circumvolitat vaga gavia puppim,
raucisono poscens strepitu purgamina navis,
circum et lascivi ludunt delphines in unda.
Quam suave est, labi per caerula semisoporum,
leniter in cunis motum ... Discedite, curae,
alma quies, seda cor atque oblivia praebe!

ROMA

O tu, cui fulgent oculi, dea, lumine glauco,
casta Iovis soboles artiumque patrona, Minerva:
ei mihi – nunc primum timidus tua signa reliqui.
Degebam Romae septem noctesque diesque,
exitiales quos misero mihi iam fore rebar.
Ingenti nam aestu cruciata Oenotria terra
uritur et coquitur, dum torridus aestuat aër.
Sed, memor officii, vicosque viasque pererro,
mirifico gaudens Urbis splendore vetustae.
Ast mihi crura pedesque dolent, dum sudor ad imos
demanat talos; fessum latus; et mihi noctu
nulla datur requies: manet intolerabilis aestus.
Adde quod hospitium farcit plebeia turba
pernox vociferans (nimio nam est ebria Baccho) –
haec quis ferre queat tantum et tolerare laborem?
Iamiam deficiens caligine lumina velor:
vae! Phoebus radiis ardens cere – comminuit – brum.

Semianimis raedam posco hospitiumque reportor –
colligo sarcinulas – viatoria tessera fertur –
sibilat et currus tractorius – et miser extra
muros iam rapior: sic te, Tritonia, liqui.
Da veniam vati: telis nam fratris adustus
evasi, excessi, erupi; tibi, tetrica, poenas
Phoebum, non humilem mortalem, solvere fas est.

LVGANO

Amoenus Helvetiorum in finibus situs
locus: Lucanum nominarunt incolae.
Silvas inter collesque panditur lacus
caeruleus et venustus, qui suadet mihi
gelidis lassata mergere membra fluctibus.
Grates agamus isti (quisquis est) deo
lacus: crystallinis in undis gaudeo.
Atque ecce supra: celsas ad sedes Iovis
altos ad astra montes tollunt vertices
cacumina quîs operta perpetua nive.
Montana prata rident, pingue qua pecus
sonitu longinquo auditur tintinnabuli.
Hic patula quercus montium scandit latus
(‹ingenio arbusta ubi nata sunt, non obsita›)
et odora pinus umbram offert sub tegmine.
Interdum et atra nubes occulit diem:
magnis caelum omne tum tonat fragoribus.
Reboat longinqua ripa, fulgores micant,
largas agitant furentes turbines aquas,
donec redux tralucet aetherium iubar.
Quam purus aër quamque odoratum nemus!

Rediviva mens onus reponit, et mei
artus, labore fessi, de novo vigent.
O frigida Tempe, vestram gloriam canam,
tuamque, diva, nostrae quae ignoscas fugae.

HUGO HENRICVS PAOLI

NOX FLORENTINA

Ala descendit taciturna noctis,
sopiunt curas tenebrae; sub axe
astra connivent, pigriorque currus
    vertitur ursae.

Turris Arnolfi vigilat suisque
lividis saxis petit alta caelum;
evocat sensim Lemures per urbem
    hora silentem.

Audit errantem per aquas querellam
vocis antiqui memoris cruoris,
subter et pontes refluente lympha
    labitur Arnus.

Testis aetatis mihi dulcis amnis,
quid meae frustra recinis senectae?
Iam diu vitam didici putare
    munus inane.

Heu quot aerumnas iteras canendo,
quos tuum murmur revocat dolores,
apta dum stellis per opaca noctis
    defluit unda.

CANTVS NIVALIS

Frigora nos petimus fugientes frigore frigus,
candidiore vocant nos iuga tecta nive.

Tendimus ad celsi glacialia culmina montis,
frigus qui metuit, frigora sponte petat,

Nix cadit adsidue ventis borealibus acta
puniceasque genas vortice rapta ferit.

Aggreditur faciem ludens haeretque capillis:
alas candidulas mille volare putes.

Nacti summa nigras valles urbesque remotas
pulvereasque vias cernimus inde procul.

Cuncta premunt late divina silentia montis:
venas percipias ipse micare tuas.

Quidnam supra nos? Capiti Deus imminet unus;
inferius nubes, plumbea strata, iacent.

O, vos quos cruciant urbanae taedia vitae,
urbis si piguit, discite amare nives.

Vos quoque difficilis studium quos macerat artis,
nocturnusque labor, discite amare nives.

Vel si despecti nimis angit vulnus amoris
torquent et curae, discite amare nives.

Corpore si valido, si pectore vivere puro
natura ipsa docet, discite amare nives,

Longis aptatis, ubi calceus artior haeret
ex ligno soleis, linquere celsa libet.

Per glaciem celeres ad valles labimur imas,
acclivis montis nix tegit alta latus.

Quid non praetereat libratum pondere corpus?
Praeterit et borean, sit licet ille celer.

Iam caput advolvit gelido nix percita nimbo,
oscula dant venti frigida, terra fugit.

Terreat insuetas aures vox sibila venti;
pergite; non animis ista procella furit.

Ecce silent subito nimbi boreasque rededit:
sopiti montis nunc tacuere iuga;

Dum regit alta quies ventos nec silva remugit,
leniter illa candida, muta dea.

ANNORVM COHORTES

Cernimus ut peditum sub signis ire cohortes,
anni sic faciunt agminis instar iter,

Atque ita procedunt, quocumque insignia ducunt,
denos ut cogat singula quaeque cohors.

At si pigra cohors castris exire recuset,
nos pede Parca iubet castra movere cito.

Expertus didicit, *septem* que poeta cohortes
sensit adesse sibi, vidit abesse procul.

Quo discesserunt, abeuntes agmine, vultu,
hac specie memori sponte redire solent.

Primos *prima* tulit pueriles candida ludos
praetenditque oculis somnia blanda meis,

Litteram et ‹O› faciem docuit praebere rotundam,
ternaque ter fieri multiplicata novem.

Graecis immerso studiis suspiria vana
immodico flagrans igne *secunda* tulit,

Intellexit enim Veneris tirunculus, etsi
 spiritus asper abest, asper ut esset Ἔρως.

Laetum me pueris, cara me coniuge laetum
 adspexit celeris *tertia* turma nimis.

Urbini montes, viridantia rura Pisauri,
 agri qua tacite defluit unda Padi,

Sic mihi vestra redit revocanti rursus imago,
 ut si me rapiat per loca mira sopor.

Haud aliter memini puerum me fingere somno
 regna super nubes non mihi visa prius;

At ne cui liceat sine fine fuisse beato,
 aetas ut fluvius non reditura fluit.

Detinuere, cohors graditur dum *quarta*, vicissim
 munera sueta foris, Attica iura domi.

Vivere nigram ut ovem despectum *quinta* coegit,
 dum servile premit subdita colla iugum,

Incertumque mihi conatur reddere panem
 quae fastum in servis torva tyrannis alit;

Tristior at quantum tulerit mihi *sexta* doloris
 mens percussa malo vel memorare vetat.

Coepit deinde cohors portendere *septima* pacem,
 supremum et monuit non procul esse diem.

At si quis cogat rationem reddere coram
 aevi tam longi, qui mihi finis erit?

Sic mihi, sic faveant Etruscae numina terrae,
 vera ut me docuit Tusca Camena loqui:

Vixi, nescio cur, tamquam peregrinus et exsul,
numquam ut desierim credulus esse puer;

Carmina non lusum, non somnia vana putavi,
nec mihi dulcis amor nomen inane fuit.

Ambitio cecinit si surdo, perfida Siren,
non tamen ipse Cato, nec sine labe fui;

Saepius erravi, mortalis homunculus unus,
ulli sed numquam me nocuisse iuvat.

Non me, si cursum conor remeare peractum,
vitae, quam duram fata dedere, piget:

Namque fuere meae solamina dulcia vitae
natorum pietas, et tuus, uxor, amor.

CANTVS ISARGI

Audivi trepidans, audivi, credite, vocem,
fractam quam fractis mittit Isargus aquis;

Naidas audivi solitas innare sub undis
perpetuum edentes, amne fluente, melos.

‹Quid meruere›, canunt, ‹montes silvaeque silentes,
aut celata umbris vallis opaca piis,

His natura locis ut magnas frangeret Alpes,
et iuga disiceret iussa aperire viam,

Qua ferus Ausonias descenderet hostis ad urbes
calcaturus equis Itala rura suis,

Oenum vel peterent longinqua et flumina turmae,
quas agit invicti gloria magna ducis?

Vallis ut alta, truci belli resonante tumultu,
mutaret faciem mortis et esset iter?

Vidimus imperiis saevis vultuque superbo
transire armatos per iuga nostra duces,

Nigramque ante oculos ipsis obtendere nubem
gestantes Furias bellica signa manu;

At simul innumeras caelum transcurrere larvas,
divinumque virum flentem agitare crucem,

Si posset populis venturam avertere pestem,
stultorum rabiem martyriumque suum.

Spectantes torvi memorabant funera belli
armis qui sumptis hic cecidere prius;

Errabant matres convexa per alta, premendo
infantes pueros, territa turba, sinu:

Illi sed caeci, tumidi, sine lege ruebant
iussis ductantes agmina longa suis.

Quid per saxa levi salientes gurgite lymphae,
quid nemus altum, quid vallis amoena iuvat?

Vividus e silvis frustra diffunditur aër,
frustra tam laeto gramine prata virent,

Rupes et variis depingit floribus aestas:
tristius immerito nomen Isargus habet.›

Naides, o, vitreae, candentis Naides amnis,
vox ut vestra dolens, cantus ut iste vetus!

Vati sed fas est sobolem sperare futuram,
quam non polluerit caedis iniquus amor,

Consortem consors, si fratrem agnoscere frater
coeperit atque homini parcere discat homo;

Quam natura dedit si servent saecula legem,
omnibus ut prosit quod sibi quisque serit.

Munera sunt pacis; vel fracta lege Caini
non ignava facit pectora mitis Abel.

Carmine tunc alio labetur Naias Isargi,
aetatemque novam concinet unda fluens.

CINERES IVVENTVTIS

Edita in urbe tua, Florentia, nostra Camena
Florentina suo carmina more canit.

Est Florentinis patrius mos esse protervos,
namque agitat volitans arma protervus Amor.

Ferrea corda gerit leviter qui ludere nescit,
mores et tetricos, ferreus ipse, colit.

Aiunt: ‹Qui fueris, male caute poeta, fateris!
Te quoque perdomuit, te quoque vinxit Amor.›

Quae, morose Cato, tristi perquirere fronte
praeteritos annos nunc tibi cura meos?

Quid iuvat annosos retrorsum volvere fastos,
ad lucem redeat quod periisse decet?

Si quid deliqui, scis me peccasse decenter;
culpae quod dederis, crimen amoris erit.

Aetas tarda solet rigidas intendere habenas,
iumentisque feris imposuisse iugum;

Defervere animos si cogit iniqua senectus,
seros quid prodest antevenire dies?

Traditus a proavis fertur mos esse Latinis
vires ut socient carmina, vina, Venus;

Dulcem non Venerem, non spernit pocula vates,
quae si deficiant, carmina sola manent.

Ars medica admonuit vatem, prostravit et aetas:
abstulit haec ludos, abstulit illa merum.

Carmina sed poterunt iuvenem servare poetam,
gaudia nam memori mente priora vigent.

Nam quid me pudeat quondam maduisse Falerno?
‹Raspam› cur pudeat subsiluisse diu?

Quid sapientia, quid prodest properata senectus?
Ipsa suum didicit cymba Charontis iter.

LITTERARVM VARIATIONES

AD LECTOREM

Mobilis una potest in verbis littera multis
sensu quid distent significare satis;

Nam mutata sonum sic mutat littera verbis,
indicet ut proprie quid sibi quodque velit.

Candida NIX, NOX fusca, cibus NUX, NEX, scelus: illas
littera quam varias dissimilesque facit!

Senserunt homines anceps quid littera posset,
PACEM dum quaerunt inveniuntque PICEM.

Id genus experiar παραδείγματα plura referre
ingenii lusu, lector, et arte nova.

O : A

Exoriens lustrat diffuso lumine terras.
Hunc, coque, si sapias, parcius inde cibis.

A : U

Caelum, silva, rates speculo redduntur eodem.
Frigus et umbra: putes hic habitasse deos.

A : I

Vanum nil meditans hanc purus, castus adito.
Acrem animum cohibe, nam furor iste brevis.

A : O

Exarat hanc rugis curvatque effeta senectus.
Si nimium est, umeri qui tolerare queant?

U : E

Vulnus me genuit saevaque putredine crevi.
Si labat, ipse labas; ne labet ille cave.

U : A

Pendula conlustrat campos urbesque silentes.
Brumam ne timeas! Frigora pellit ovis.

I : U

Caelo descendit ventis borealibus acta.
Ludenti puero prandia multa dabit.

U : A

Molliter ossa tegat, cum summa advenerit hora.
Piscibus, heu, fraudes exitiumque paras!

Evolat huc animus quotiens versamur in urbe.
Adlectus larido ne capiare time.

Orat dum populus, divinum effundit odorem.
Reges qui pascit, pascitur ipse luto.

MATTHAEVS PAOLILLO

ELEGI

I

Dum sermone cano prisco quae promere suadet
pectus, me tetrico Zoilus ore monet:
‹Si quid vis nobis dignum recludere dictu,
quin aptas Italae carmina iusta lyrae?
Est vitio *pancte* Latio sermone poesi,
quiquid non suetis auribus ipse canis,
quod minime verbis alienis sensa cohaerent,
omniaque ingenua simplicitate carent.
Vivida vis animi nimia corrumpitur arte:
frigent invitis verba coacta modis.›
Sic ego lenis ad haec: ‹Nil ad me! Sermo Latinus,
non secus ac patrius, notus in aure sonat.
Sic animi motus faciles ducuntur ab imo,
sensibus et vibrant consona dicta meris.
Ni legar a multis, leviter, mihi credite, curo:
me prohibet sensus his aperire pudor.
Sat sit, si laeta pratis a valle piorum,
dicit ubi vatum carmina sancta cohors,
audiat et recinat pallens maerore Catullus
fraternae mortis Virgiliusque mihi.›

II

Iucundus catulus, peperit quem candida felis,
persultans hodie ludit in aede mea.
Is nuper tenui depulsus ab ubere matris,
delicium nati, ludicer hospes adest,

oblitus fratres niveos unaque iocantes
  hesternumque larem, quo manet orba parens.
Eiulat illa procul prolem fortasse requirens,
  sed tu nil querulos accipis aure sonos.
Ubera cui sitiens avide lactantia suges?
  Quae posthac album linget amica pilum?
Ecce petis curis expers nunc mobile filum,
  quod raptum labiis unguiculisque premas,
nunc pedibus parvis sectare volubile lanae,
  insiliens curvo tergore saepe, glomus.
Quam bellus catulus! Gestis ludisque beatus,
  ut puer ipse sibi ludicra sola petens!

III

Has violas ustas annis et pondere passas,
  quas hodie reperi, quas liber arctat avi,
qui teretes digiti quondam tetigere vigentes?
  Quisnam decerpsit? Quae posuere manus?
Fausti, qui tandem fulsit, monumenta diei,
  an carum miseri pignus amoris erant?
An trepidi cordis pulsus novere frequentes?
  An maestis lacrimis immaduere diu?
Nescio! Pulcra quidem grati munuscula veris
  iam potuere virens condecorare solum,
et toties inter gemmas videre pruinae
  purpureum verno surgere ab axe diem.
At mage cum vivo stirpes umore vigebant,
  ipsas ignotae persecuere manus.
Nunc siccis foliis cupide sua quamque tuetur
  luteolis senii pagina sparsa notis.

Quid memorant animo cupido? Luctusne tepentes,
an lusus, horae quos rapuere breves?
Ipsae pace silent fusae solumque vietis
et novus ex foliis et levis halat odor.
Etsi nativos carptae misere colores,
spirant lene tamen compositumque decus,
nec laetae, tristes minime, sed denique dulces,
ut res praeteritae, quas memor intus alo.

PORTVS

Un port est un séjour charmant pour une
âme fatiguée des luttes de la vie. –
BAUDELAIRE, *Le spleen de Paris*

Quam iuvat et varias et mille coloribus aptas
me visu nubes, sole cadente, sequi.
Chrysolitho flavo radiant et iaspide fulva,
hinc amethystus et hinc fulgidus ardet onyx:
tum caelum videas violis florere tenellis
(a pereunt citius!) staminibusque croci.
Velificant placidis aditurae flantibus auris
oceani sedes hesperiosque sinus,
sed tamen interdum, simul atque cupidine raptae
ludendi subita sint studioque ioci,
inter se impingunt, miscent, dein vellere fracto
per sudum passim lanea morsa natant.
Sic ea, quae finxit celeri sibi mente puellus,
urgent atque sua mobilitate cadunt.
Sic illi telam texunt rursusque retexunt
aurea mollicula somnia fila manu.

Heus! infuscantur species rerumque colores
   et tenues, umbra progrediente, labant,
dum longe, vergit qua concavus axis in aequor,
   lux etiam vitrea caerula pingit acu.
Hic sedeo, moles ubi salsis innatat undis,
   pensilibus pedibus luminibusque vagor.
Protendit portus sua saxea bracchia tamquam
   si precibus mutis invocet ipse mare,
sed mare dormitat zephyri cantate susurro,
   spiritus et gravior crispa per alta meat.

Lumina nunc urbis tenebras electrica lustrant
   alternatque procul flammea signa pharos.
Lammina purpureo tractu longinqua cruentat
   inque vices pigris usque recedit aquis.
Multisono fervet portus clamore crepido:
   hic viles bacas mnemosynumque loci,
hic laudat fontis medicatae voce liquores:
   itque reditque cito plurima turba pede.

Omnes festinant: videas quandoque licebit
   tum pueros querula voce rogare stipem,
tum vetulas lenas, nictantes saepe puellas,
   si qui nocte velint aere parare toros.
Ecce gemit tractu plostrum manuale quod undat
   pellitis cistis carpatinisque grave.
Viribus intentis sistit nervisque subinde
   inclamans gerulus: ‹Ne rota crura terat ...
Quid cessas? ... cavesis ... propere decedite, quaeso›:
   interea madido sudor in ore fluit.

Maior fit motus, strepitus crebrescit et hora,
   qua grandis linquat litora navis, adest.

Tota fremit, nigrum fumum volvente camino,
defigitque oculos orbe nitente suos,
Argus ut, et punctis stellantibus aequor in umbra,
luce lacessitum, vermiculisque tremit.
Iam signo navant operam, redit ancora fundo,
iam funes alacer solvere nauta parat.
Extremum mandat procul renovantur ituris,
mixta statim variis interitura sonis.
Ac dum mille vibrant pontis constrata lacertis
et dicunt crebro lintea mota vale,
ex ora celebri vasto molimine puppis
excedit sensim tracta minore rate.
Lenta prius, leviorque dehinc resoluta remulco
labitur arva super liberiora maris.
Interea claris lanternis ostia portus
sibila continuans altera navis init.
Sic eadem semper statio, sursumque deorsum
assiduum motum, qua sinuatur, habet.
Funibus, antemnis, malis glomeratur acutis
et iactat Chalybum bracchia stricta manu.
Aëra nam scandunt, redeunt carchesia rursus
ac navis laxa forcipe gluttit onus.

Si spectas lassus certandi vespere portum
errandique modum denique lassus aves,
nescis quid misere tendant, ut tristior alter
res velit usque novas, anxius alter opes.
Sic sua quemque trahit, quae versat pectora, cura.
Sed tu, certandi lasse viaeque, mane.
Mox tantus fremitus premitur: nox provida murmur
adspirans flatu sopiet omne levi.

Haec ego conspicio studio sine cuncta nec ulla
   immotum cordis commovet aura lacum.
Quam iuvat et varias et mille coloribus aptas
   in caelo nubes, sole cadente, sequi.

QVIDAM PER NIVES PROLAPSVRI MONTES CONSCENDVNT

Ostendi incipiunt montana cacumina. Raeda
paulatim reprimit nunc automataria cursum,
consistitque rotis stricto sufflamine; totque
quot vecti iuvenes sunt et quot ab urbe puellae
desiliunt. Strepitus ignitis fota vehicli
edere singultim lymphis ita machina pergit,
miscenturque simul voces: ‹Huc conice, sodes,
sarcinulas!› – ‹Ubinam manicarum gausapa?› – ‹Nonne
haec tua?› – ‹Da, quaeso; grates tibi semper habebo;
adde meas soleas oblongas!› – ‹Auribus ohe
intentis haurite sonum: quis forte cruminam
perdidit hanc nummis aliquot chartisque refertam?›
– ‹Quo tu? ... Iam propera nunc huc accedere.› Demum
illud conveniens una componitur agmen.
En in conspectu exstructum molimine vasto
est opus ingenio praestanti nuper et arte
miranda inventum: sursum pariterque deorsum
hinc prior orbe suo de valle rotabilis ima,
hinc et item summo de monte rotabilis alter
circumagit duplex suspensa sedilia funis.
Post alios alii sua quaeque sedilia certant
scandere. Quisque poli vacuas elatus in auras
clivos evadit superans, evadit acuta
saxa; fremit subter pedibus coma pinea. Laetae
rumpunt aëriae montana silentia voces
(silvestrine docent hoc carmen Oreades ore?),

dum iuga contingunt illi (mirabile visu!)
pensilibus laqueis librantes corpora. Celsa
albicat alpino glaciali vellere terra,
percutiuntque nives rutilantis spicula solis.
Et quas oblongas sibi quisque paraverat ante
fraxineas pedibus soleas accomodat aptas
montis prolabens per iter quacumque nivale:
et munita tenet rotulis hinc inde bacilla,
contectis manibus caprinis pellibus, ora
lanitio a Boreae defendens frigore flantis
et sub fronte gerens ocularia rite per orbes
illita nigranti et tenui fuligine vitra,
ne nimio radians noceat sol lumine, nixus
currere cum studeat, nutatque labatque; volucris
ecce supercilio descendens impete primum
leni, post etiam velut usque videtur in omnem
praecipitem, lapsu duplicato, vergere casum;
mobilitate tamen corpus sapienter et artus
flectit iterque gelu duratum carpit, et altos
pronus per clivos rapitur geminata viarum
perpetuo tractu retro vestigia signans.
Confecto cursu per iter declive, reversus
nititur in montem: venit aeger anhelitus imo
eque fatigato crebra vice pectore ductus:
oblongis soleis baculisque inclinis utrisque
sic obliqua premens vestigia sudat et alget.

At cuius numerant plures marsupia nummos,
mercatus funem, quem nupera machina versat,
succinei scite fluctus vi desuper acta,
huic haerens trahitur repetitque cacumen. An omnes
egregio credas prolabi more modoque?

Est equidem, multis qui ambagibus obvius idem
pondere semper eat iusto, flectique peritus,
quos de more solet cuneos opponere lapsus
hoc genus, impavidus transverso tramite vitet.
Est etiam tiro, miser hanc qui nesciat artem,
et procumbat inops elumbis lapsus inepte,
in tremulos sociis solventibus ora cachinnos.
   Scilicet hi, quorum volitat pinnata per orbem
fama novi ludus, procul his a montibus absunt ...
   Iam plerique domos pytissantumque tabernas
ingressi, longo satiati denique ludo,
scissaque ligna focis curantes arida poni,
igne calentque mero. Potior fugit hora diei:
montibus occiduus suadet descendere Vesper.

VINCENTIVS POLIDORI

PROPE SACELLVM IOANNIS PASCOLI

Collibus egressus viridantes irrigat agros
amnis, qui pluviis obstrepit auctus aquis.
Aspicit in pratis tondentes gramina vaccas,
grandia quae, circum, proxima rura stupent.
Aspicit ambitam nemoroso palmite Bargam,
quae super inclini ridet amoena iugo.
Aspicit oppidulum muris, simul aggere cinctum,
tinnulus unde sonus, percitus aere, cadit;
qui sonus, ipse fugax, actam denuntiat horam
et procul emoriens infremit atque gemit.
Vates hoc monitum, turri quod labitur alta,
audiit, extremas dum petit usque moras.
Somnia fingebat pulchra sub imagine veri,
somnia quae cordi mite levamen erant.
‹Nunc iuvat implacidas animo depellere curas,
nunc mollem digitis sollicitare chelyn.
Nunc iuvat eventus, rerum nunc dicere causas,
qua vaga percurrant sidera lege polum.
Cum summis tacitae redeunt de montibus umbrae,
quid flos reclinans somniet ipse caput.
Quid referant aurae, prono quid flumina cursu,
quo rapidum vitae denique tendat iter.›
Haec secum meditans agitabat pectore vates,
dum procul ingeminat flebilis hora sonum.
O decus eximium, magnis virtutibus auctum,
progenies silvis edita Pieriis,

quem nitidae dulces venientem lucis in oras
excepit tenero Calliopea sinu,
cui capiti imposita lauri de fronde corona,
mellea Castalliis ora rigantur aquis,
te celebrant populi, laudat praeclara iuventus:
docti namque tuum nobile vatis opus.
Te, quem blanditiis decuit miscere lepores,
cui numeros aptos obtulit ipse Maro.
Ut nitido caelo resplendet limpidus aër,
veris ubi spirans aura tepentis olet,
graminei rident diffuso lumine campi
et croceum pingit daedala Flora solum:
sic tua, quae nuper mirabar, candide vates,
carmina de sacris sponte voluta iugis.
Cum maestos animos luctus lacrimabilis urget,
vulnera tu sarcis, unguine saeva linis.
Flectis, cum loqueris, celsis de rupibus ornos;
lenia, qua iubeat, vox tua cuncta trahit.
Orpheus argutis fidibus sic saxa movebat,
sic fretus cithara molliit ipse feras.

RAIMVNDVS SARMIENTO

AD AMICVM

ut a carminibus extorquendis desistat

Irrita ne decies fratrem spes fallat amantem
  insuetae fingunt marcida signa manus;
desine iam ioculis me deridere benignis
  ne meus ignescat tristis, amice, furor;
dedecet indoctum manibus tractare profanis
  caelesti placito fila negata lyrae.
Scis bene quid dicam. Rerum sapientia magnis
  ex nihilo signis te monet esse nihil.
Aspera quis mites inter dumeta racemos
  colligit ut condat plurima musta cadis?
Floribus inductos apium conamine summo
  quae profert dulces arida terra favos?
Quis violas carpit pictas aut rore corollas
  horrida ubi duro sidere saevit hiems?
Educat ulla siti calefactis poma relictus
  sentis qui totus vepribus horret ager.
Quae venient laetae fruges pecorique virisque
  semina ubi sicco condita nulla solo?
Sed neque per latum consurgent pabula campum
  quo lento solum vimine frondet humus;
multifidoque nemus populatum dente locustae
  non tibi dat pleno lance redire domum.
Non nisi ferales uxor dabit ore querelas
  noctes atque dies coniugis orba sui.
Nec rapido resonat correptis fulmine silvis
  aëra demulcens alitis omne genus.

Nullis lassatus pubescit floribus hortus
multae qui nunquam fonte redundat aquae.
Ipsas non referunt quassatae motibus aedes
quas facili Numen percipit aure preces
nullaque saxosae celatur molibus Andis
emeritis nunquam bacca liganda comis;
dicitur intexi caenosae nulla paludis
ponderis exigui lucida gemma vadis.
Quis tamen ardentem desertis actus in arvis
quaerit siccato fonte placare sitim?
Sufficit exemplis certum vulgare notatis:
nulla venit vacuo cortice lecta seges.
His modo perdoctum vitae iam casibus huius
effugit haec timidum prona pericla caput
nunc grave continuis votis committitur ausum:
sarcina non umeris subiicienda meis.
Carmina saepe rogas: usta petis arbore frondes
et male fecundis roscida mella locis.
Id facit ingenuus (cordis tua pignora) candor,
purus in alterius facta pusilla favor.
Ne facias posthac; rerum studiosa mearum
ipsa tibi bonitas triste piamen erit.
Candidus ipse, malum! non iustas denique paenas
vatis et expertis numine lector habet.
Forsitan et sacris indulgens artibus, optat
volvere legitimis carmina clausa modis,
post, ubi mendosam tentat percurrere Musam
decidit e manibus charta voluta suis.
Advena qui in patriae longis erroribus oras
tendit amore suae; sole perustus adit
arboris et patulae frigus peregrinus opacum,

aestibus hic fractus, fessus et ille via:
exesi vana lusus sub imagine trunci
nescis ut magnas tollat uterque minas?
Talibus usque meo lymphatus vertice sanguis
fervet et imbellis vena calore fluit;
tabidus immenso conatu frangitur artus
concutit et nimius pectora nostra labor.
Carmina multa facit divino percitus oestro
et bonus eloquii flumina multa bibens.
Comiter a magnis carmen perquire poëtis
qui rutilo semper lumine solis ovant
apta serens horis interdum verba terendis
labor et argutum pecco remissus idem.
Garrula iam mutuo signetur littera voto:
carmina nulla petas, carmina nulla dabo.
Addere si placeat promissis pondera veris
et dextris foedus perstabilire datis:
iuro tibi, frater, nunquam contundere plectrum,
sic placidae Musae munera pacis erunt!

VOLFGANGVS SCHADEWALDT

ANACREONTEVM

Atrides studeo magnos et dicere Cadmum.
  Chorda tamen solam mota sonat Venerem.

Mutavi plectrum nervos chelyn. Usque ego canto
  Alciden: resonant usque fides Venerem.

Grandia iam valent magnorum nomina regum.
  Nam quodcumque sonat chorda, sonat Venerem.

COLLEGIVM PHILOSOPHICVM

Epigramma in collegii pulpite inscriptum

Quid proferre iuvat praestantia verba, magister,
  obscura? – Stertit, vae tibi, tota cohors!

BENEDICTVS SCHMIDT

ODE AD VRBEM WOERISHOFEN

Urbs Woerishofen, herbiferis locis
et cincta silvis, fontibus insonans
et ingeni laus Kneippiani
magna hominum medica atque amica!

Ad te ruinam corporis attraho
languore fracti; tristitiaque mens
in te cupit depressa pondus
decutere atque malo levari.

Aegro salutis non semel ultimam
te spem probasti, cui misero nihil
levaminis guttis dedere
vel pilulis medici suetis.

Tuum clientem iam cruciat malum
eheu! per annos! Deserere est nefas
opem rogantem! More Kneippi
funde tuos latices salubres!

Reclude fontes! Nunc gelido sine
fluctus in artus nunc calido tubo
fusi ruant et totum inundent
hoc miserum tremulumque corpus!

Vel si necesse est utere linteis!
Seu viscera aestus sive tenet gelu
circumvolutus reddat udus
temperiem cito pannus aequam.

Calcare nudo non renuo pede
aquas rotantes frigido in alveo,
nec calceis per prata mane
roscida sepositis meare.

Quaecumque Kneippi iusseris aemula
subire mens est; omnio perpeti
adsum paratus, dum valere
corpore des animoque rursus.

Io! scatentes iam fluvii strepunt,
et mox vicissim cruraque brachiaque
et terga, pectus mitis undae
alluvie penitus madescunt!

Cruor citatus gurgitis impetu
venas per omnes liberior ruit,
pallos genae cedit rubenti,
vita redit, redeuntque vires!

Sic semper aegris lux bona praenites
Kneippique patris gloria permantes.
Verumque quod dicunt probatur:
‹Nostra salus in aqua reposta est!›

DVO SEPVLCRA ROMANA

Here lies one whose name was writ in water ...
KEATS

Dives fuisti! divitiae tuae,
Cesti superbe, pyramidi parem
Romae tibi molem pararunt:
non, epulo, morieris omnis!

Prope est sepulcrum, quod iuvenem tegit
carum Camenis: tantum in aqua suum
scripsisse se nomen putabat
ante diem moriens poeta.

Moles superba pyramidis caret,
Cesti, loquela: lenia carmina
bustum illius spirabit usque,
cuius erat dea pulchritudo.

AD VRBEM PATRIAM

Bavariae flos, urbs celeberrima,
tuum libenter me voco filium.
Quî desinam tuas amare
delicias Isaramque carum?

Sedes vetusta et nobilis artium,
quot praebuisti tu mihi gaudia!
Fidos dedisti mi sodales,
tu mihi coniugis altum amorem!

O si tibi desit Boreas ferox
necnon malignus iste Favonius!
Quare, alma mater, ne reprendas
nos aliquando Athesim petentes!

CARMEN NATALICIVM ‹FARCIMINI ALBO› MONACENSI CENTVM ANNOS NATO DEDICATVM

Urbis meae munus memorabile,
cibis sapore suavius omnibus,
‹Farcimen Album›, dedicabo
versiculos tibi nunc modestos!

Iam lustra viginti numeras bene
peracta! cives innumerabiles
iam roborasti mane iunctum
cervisia atque bona sinapi.

‹Bracella› pulchra et sunt comites tibi,
o mitis esca, quae Monacensibus
et exteris semper placebis,
grata caro vituli tenelli!

Mensas cibis lautis repleat suas
Nasidienus notus Horatio –
das *tu* mihi, ‹farcimen album›,
delicias hilares dabisque!

Non iure summo tu medicus potes
illo vocari qui calices nimis
  gustavit et cuius queruntur
    et caput et stomachus dolores?

Grates agantur artifici bono,
qui te creavit, qui laniariis
  iutus suis nostrae vetustae
    te faciens merita urbis auxit!

Sic gratulor, donum patriae, tibi.
Semper sapore illo ambrosio tuo
  quam plurimos delecta amicos,
    qui pariter tibi dent honores!

IOSEPHVS TVSIANI

DE ARTE

Ars est de manibus puris assumere flores
et puris manibus illos transmittere genti.
Ars est obscuro dare carmina candida mundo
et hiemalem animum verna vestire corona.
Ars est eloquio celebrare silentia caeli
et raucum terrae sonitum cognoscere, amice.
Ars est res facilis, alam medicare feritam,
difficilis et est, volucres non esse volantes.
Ars est conciliare domum cum fluminis unda
et hominis lacrimas cum festa pace deorum.
Ars est qui de te mortali nascitur ordo
immortalis, amor lucis in pectore, amice.

DAVNIA LVTEA LVX

Velivolum mare, Vergili, mihi cantet amorem,
  litoris et nostri me faciat memorem.
Eminus hic ver est et ver natalia rura
  fronde ornat viridi donaque dat rorida.
Exsilium nebulis hiemis proficiscitur una:
  te video tandem, Daunia, lutea lux.
Nunc natis narrant pastores vetera luci
  et inter liberos adsum ego quoque puer.
Occiduo nunc sole virum mulier redeuntem
  laetificat dono convivii et labii.
Nunc focus aureus est radius nocturnus et una
  parietem et faciem cingere pace potest.

A, morior dulcedine. Mox deponite, sensus,
torporem et vitae vivite principium.

IAM PERIERE

Iam periere anni fulgentes et levisomni,
iam dolor incedit tristia serta ferens.
Sta, dolor, et tu, flos, remane: sine lumine vita est
quae mihi concessa est sidera ut acciperem
immortalia. Dixerunt caelestia verba
infanti labiis caelicolae tremulis.
At hodie esse ruinam acrem mortalia nosco
et scio fatifero gurgite pulchra rui.
Me non haec docuere dii, non ista parentes:
schola viro verax est dolor una mihi.
Di dicaces, di mendaces, ultima fabor
contra vos hodie, cras moriturus ego:
‹Florem fecistis leti ignarum et aluistis
me solum exitii quod properat pavidum.
Non melior ego sum his calamis foliisque rosarum,
sed verum est gigni mente mea furias
meque hodie inutilis vitae taedere receptae.
Mactate infantem aut reddite eum fruticem.›

MESSORIBVS DAVNIIS

Obrepens redeo velut anguis in intima verba,
messores, vestra et mergite celor ego.
Luctisonam audio nunc fabellam ex oribus ustis:
dicite quid angat guttur et ingenium.

Sol vobis remanet qui noster erat alio anno,
gaudetisque umbris quas mihi di prohibent:
dicite quid tangat tormentum spicea dona.
An vestris parvus panis erit genitis?
Vivite, rurigenae, et laeti deponite falces:
mattea sint pueris rorida ciba rosae.
Mensa parumper erit ditum et nox fusca sequetur
nec noxas ullum tum melos eripiet.
Vivite felices noctem et sperate serenam:
materiata casa est marmorea levior,
sed melius poterit stellis penetrarier altis.
Labere, luna, precor, luce tuaque velis
vincire hanc terram tremulam moriente lucerna:
haec illa est regio diligo quam trepide,
hi sunt, nox, homines vitae quibus aspera desunt,
si dominae superent oscula cara domi.

HERMANNVS WELLER

IMAGINES TVBINGENSES

I · ARX

Aula mihi quondam gladiis resonabat et hastis,
   ex teneraque manu praemia habebat eques.
Nunc etiam portas par forte tuetur in armis:
   te petit hic telo, dexter et ense micat.
Ne timeas! pax est! tiliae nec te vocet umbra:
   area post portas, aspice, lata patet.
Est taciturna quies: putei modo lympha susurrat,
   promere qua Sophiam murmura parva putes.
Per scalas datur intortas ascensus ad oecum,
   qui serie longa scripta reposta tenet.
Hic veterum monumenta vides librosque novorum;
   altior hic vita est: reprime, vive, pedem.
Et foribus fuscis fusco insignique decoris
   tecta subingredior iam laqueata silens.
Hic comiti sociisque fuit potatio quondam
   vocibus et strepitu personuitque domus.
In vitreis loculis iam cerne volumina bella
   miraque custodis percipe verba simul.
Egredimur conscensuri solaria: valles
   visus obit longas, trans iuga parva volat
caeruleosque petit montes, qui saecula celsi
   plurima iam perstant – vita sed una dies.

Egredimur vicis: fastigia celsa domorum
  urbis in acclivi stant taciturna foro.
Protegis hic puteum, Neptune, tridente minaci,
  ornatu raro curia pulchra nitet.
Turris inest tecto magnumque ciconia nidum
  in celso posuit culmine mitis avis.
Est quoque sub tecto surgente horoscopos orbis,
  indice quo noscas, quam cito tempus eat.
Parva subest arte conserta fenestra fenestrae,
  ornatum paries signaque pictus habet:
ipsa Themis libramque tenens oculoque ligato,
  ensiger intonsusque hic Eberhardus adest.
Orbibus auratis prospectant ora severa:
  hic bene doctus erat, fortis et ille manu.
Ecce fori lustrant operas, ubi callidus emptor
  litigat et caupo, ludit ubique puer.
Nec tamen hic tranquilla fuit pax ante: sonabat
  armorum strepitu concrepitante forum,
hostibus infestis cum miles scandere muros
  iussus erat portis aut abiturus eques,
cumque Palatinus comes ala cinctus ad arcem
  ibat equo, cristas dum quatit aura leves.
Praefecti vox clara foro strepuit quoque nuper
  armaque pulsato concrepuere solo.
Mille renidebant galeae Titane sereno
  tecta super festum despiciente forum:
urbe moraturum Germanum venerat agmen
  in placida, Gallo sospes ab hoste redux.

De podio ‹Vivat miles› clamante senatu
  miles: ‹Io› cecinit ‹vive Tubinga› tonans.
Interea tacite tuto Memphitica nido
  laetantem populum despiciebat avis;
an meditabatur secum, quî consulat urbi
  et quantam subeant res hominesque vicem?

RHYTHMI

IOSEPHVS EBERLE

LVTETIA

Ave ter dulcissima!
iuvenis clamavit,
vias tuas splendidas
primum cum intravit
saltans totis viribus,
sicut olim David
intrans Ierosolyma
arcae praesultavit.

Quod est Vrbs Pontificum
gregi vel praelato,
Mecca quod fanatico
in desertis nato,
aut quod est philosopho
sanctus ille Plato –
erat mi Lutetia
urbe fascinato.

Vitae iucundissimos
ibi carpsi flores,
nusquam elegantius
tum vigebant mores,
mens et lingua libera,
sales et lepores,
laeta sapientia,
artes et amores.

Omnia haec gaudia
degustabam ibi

omniaque genera
potus atque cibi.
Solam ob modestiam
hic non potest scribi,
quoties ex poculo
Veneris tum bibi.

Versus scripsi plurimos
in Parnasso Monte,
hoc poësis uberi
et coffeae fonte;
sed nocturna carmina
dedi mea sponte
prima luce piscibus
Sequanae de ponte.

In rotunda Panthei
steti vultu gravi
et in Montis Martyris
molis exsultavi,
Campis in Elysiis
domnis annictavi,
apud Nostram Dominam
animam salvavi.

Do salutem hodie
omnibus scortillis,
quae vincebant timidum
artibus mellillis,
item et cauponibus,
qui iucundis villis
mi lustrabant animum
in diebus illis.

Item grate memini
coctos assatosque
pisces, pullos, porculos,
boves vitulosque,
phasianos, anseres,
cochleas agnosque
recreantes stomachum
delectantes osque.

Non est mirum iuveni
ipsum paradisum
tristem et horribilem
locum esse visum.
Sed hoc saeclum aureum
mox est intercisum
diro bello populis
rapiente risum.

Iam perdideramus spem
nos dilectos muros
lucidae Lutetiae
esse revisuros.
Sed post annos Martios
extra modum duros
fatum dies reddidit
– faxint di! – securos.

Simulac possibile
fuit proficisci,
propere collecti sunt
triti mei risci,
nam ut primi homines
cupiebam prisci

paradisi gaudia
denuo nancisci.

Vix angustum patriae
fugiebam saeptum
putans me Elysii
limen iam adeptum,
cum est cor, fallaciis
blandulis deceptum,
caro suo somnio
subito ereptum.

Qui post longum spatium
primos ad amores
redit, frustra quaeritat
proprios fervores,
frustra suae Helenae
gratias priores –
non resurgit mortuus
amor, quantum plores.

Salve tamen, dulcis urbs
meae iuventutis!
Iam canescunt tempora,
iam laxatur cutis;
trames nunc scandendus est
aridae virtutis ...
Allevet memoria
onus senectutis!

Notum sit urbi et orbi:
Naso mentitus est, Naso frustravit!
Minime valent, quae tam praedicavit,
eius remedia morbi.

Circulatoris illius
ecce me victimam bene curatam:
valeo post medicinam potatam
peius, quam valui prius.

Cuncta me puto secutum,
Naso quae scribit in suo libello,
Veneris tamen captivos praecello
maxime promptus ad nutum.

Video macula centum:
feminae iam non pergraciles partes,
unguinis, pyxidum, pectinis artes,
rugas et geminum mentum.

Illam non esse fidelem,
magis pecuniam meam amare
memet quam ipsum intellego clare –
proficit nihil, si velem.

Frustra conspectum fugavi,
frustra me novae coniunxi puellae:
basia, huic quae dederam bellae,
illi me dare putavi.

Quaelibet die noctuque
cogito, sentio, patior, ago –

animum semper amoris imago
vexat tumultu motuque.

Umbra puellae dolosa
horas diurnas ad vesperum frustrat,
somnia mea puellae perlustrat
species libidinosa.

Sorbui medicamentum
centies potu validius Bacchi.
Estne renata Canidia Flacci
faciens me temulentum?

Notum sit urbi et orbi:
Naso mentitus est, Naso frustravit!
Crescit remediis, quae praedicavit,
gravitas, suavitas morbi.

CVM ALIQVOT DISCIS SONANTIBVS

Disci ad meam ituri sonantes,
facundiores bellissima dote,
saepe qui nos delectastis amantes,
vestris canticulis resonatote!

Quare commoveor vobis auscultans,
rimulis vestris imprimite, disci.
Illam, cum audiet modos exsultans,
facite mei sic reminisci ...

Octogenarium sepelierunt
vico in Suebico, cuius in tuto
multa per saecula vixerant sui,
quoad expulsi sunt odio bruto.

Rediit post Babylonicos annos
patriae cupiditate commotus,
rediit tempora quaerens peracta,
senex et inops et paene ignotus.

Frustra quaesivit cognatos, sodales,
Sabbati vesperum, scholam loquacem.
Quibus tam diu caruerat foris,
frustra quaesivit: quietem et pacem.

Repperit nil nisi loculum istum
tumulos inter neglectos avorum,
quibus concesserat Dominus mori
ante tyrannidem persecutorum.

Quamquam haec silva praebeat satis
spatii cuivis ex David prognato,
tamen iam perdiu non acquievit
quisquam in loco quieti sacrato.

Exsules novis in patriis suis
haud tam gravantem invenient humum;
iam vero minime opus est terra
illis in cinerem versis et fumum ...

Hic autem patriae redditur terrae
isdem sub Abnobae pinibus atris,

quae iam umbrabant cunas infantis
sicut obumbrant tumulum patris.

Ultimus vici hic iacet Iudaeus.
Lapidem brevi contegent virgulta,
bustum at non erit oblitteratum:
plura hic iacent quam senex sepulta ...

EPIGRAMMATA

POETA

Lapidi sum similis
Memnonis arcano:
tepefactus radiis
meae lucis cano.

ANTE LIBERTATIS STATVAM NOVI EBORACI

Quam fatale cecidit
novi mundi masculis,
ut Libertas ipsa sit
feminini generis!

‹NONCONFORMISTAE› CVIDAM

Dissides, negas, discordas, opponis.
O qui communis es opinionis
semper contemptor, ut tibi figures:
olim et tu – abibis ad plures.

DIOGENES

Homines quaerens cum sua lucerna
nil nisi sordes invenerat pridem.
Nobis electrica lux hodierna
clarius monstrat quaerentibus – idem.

IOANNES ALEXANDER GAERTNER

PVELLA AMERICANA

Angelus mediocritatis,
vivax, amabilis,
bene nutrita glaciatis,
perquam durabilis –

Alta est tua vox,
tuba paululo potior,
uxor eris ferox,
mater ferocior.

Virgo tam solida,
pulchra et stolida,
inscia tu brevi reges
fata virorum et leges!

VESPER AVCTVMNALIS

Subito venit vesper serenus;
aurea aura et lux erubescens
terram et caelum ignibus ligant –

verte te nunc ac vide retrorsum:
tacitae noctis stellulae primae
limpide, nitide, frigide micant.

NOCTE

Frigidus splendor lunaris,
unda luminosa
mysteriosi maris –

Quae tua luce impletur,
quam numinosa
terra videtur ...

CANTICVLVM

Dormi, mi fili, dormi –
sunt qui dicunt
vitam beatam esse:
dicunt, dicant, nesciunt.

Dormi, mi fili, dormi –
veniet dies
quo tibi erit
larga, largissima quies.

Dormi, mi fili, dormi –
aderit mox
mihi, tum tibi
ultima, optima nox.

RECORDARI

Quandoque descendo
in puteum profundum
infantiae meae discerno

in aqua obscura
pueri faciem
exsanguem, ignotam

et audio vocem
haesitantem, remotam,
quam iam non comprehendo ...

IOANNES GÖTTE

MEDITATIO DE QVIBVSDAM WERNERI BERGENGRVEN VERSIBVS

Und so trittst du vertrauend hinein
in die Nacht, in den Tod, in den Stein,
in den Sand, in den Schiefer, den Ton,
in den Wein, in das Öl, in den Mohn.

Omnium est omnibus
virium ex viribus
homo particeps. Ex omni
creatura surgunt somni
nutus et imagines,
vocant nos voragines
rerum ac verborum,
vocat nos sonorum
mundi decus, opus DEI,
dies nuntiat diei
maiestatem CREATORIS:
dulce spirat labium floris,
densa gramina virescunt,
campi virides patescunt;
silvae frondibus coruscis
nos obumbrant, sine muscis
accipit TELLVS muscosa
nos benigne generosa;
saxa surgunt montium,
lymphae saltant fontium:
vita volvitur, mutatur;
DEVS solus non labatur.

Homo, quodam modo omnia
vivit, et per res et somnia
semper servus sit fidelis
DEO, vehat plenis velis
navis hominis in portum,
unde hominem exortum
credimus. – Sic somnia
vera fiunt omnia.

DVORVM AMICORVM
IOCOSI MVNERA LIBERI VALDE AMANTIVM
EPISTOLAE DE VINO

HERIBERTVS IOANNI

Non tacemus.
respondemus:
diem celebrabimus,
veniemus
ac bibemus
cum familiaribus.

Pasco linguam:
brevi tinguam
fauces siti torridas;
pellam tecum,
pelles mecum
curas vitae horridas.

O beata
semper grata,
o speranda vixdum spes:

tu potabis,
delirabis
ipse et desipies.

IOANNES HERIBERTO

Heriberte!
Bibam certe,
sed manebo sobrius;
ius malorum
est vinorum
iure mihi melius.

Amor verus
est sincerus:
suum cuique dabitur,
neque vobis
neque nobis
gaudium delebitur.

Tibi quidem
semper idem
vinum cor laetificet:
ergo pota,
donec tota
domus tecum vacillet.

HERIBERTVS IOANNI

Foedus ergo ineamus,
foedum foedus, ut dicamus,
impar et turpissimum:
bibes tu cum dignitate,

ego cum ebrietate,
ius quam iniquissimum.

Nobis quidem mos hucusque
ac ius optimi cuiusque
exhaurire quod libet;
istud tamen ius malorum
iam ab Heva probatorum
ut ius malum displicet.

Sucus malis destillatus,
quamvis sit accommodatus,
nonne causa flebilis?
Una manet res optanda,
ut voluntas sit laudanda,
caro autem debilis.

IOANNES HERIBERTO

Tu, qui tutus
et acutus
sitientem laceras;
nonne notum,
quale votum
tu ludibrio habeas?

Cum bibebam,
me gerebam
servum vini debilem
ac Mariae
meae piae,
vae, maritum flebilem.

Heriberte,
dic aperte:
Quis est me miserior?
Sed manebo,
etsi flebo,
sicco saxo durior.

Res optanda
et amanda
manet: hospitalitas.
Vina tibi,
mala mihi,
omnibus hilaritas.

HERIBERTUS IOANNI

Nolui acetum dare
neque tua lacerare
viscera ludibrio;
dentem condere mordacem
et servare tecum pacem
toto corde diligo.

Verbo tantum sum acutus,
animo nequaquam tutus:
corpus nostrum debile;
sumus nil nisi arundo,
nisi pulveris in mundo
granulum delebile.

Homo numquam erit ilex,
numquam saxum, numquam silex,
sed arena mobilis;

quam vicini inter vina
liber sunt et – libitina,
paris fere nominis.

Cras fortasse tu potabis
vina, mihi iusta dabis:
diem nosti crastinum?
Unum novi: familiares
sumus, fidi et hilares,
id erit solacium.

IOANNES HERIBERTO

O quam bene me novisti:
nam compulsus siti tristi
lapsus sum nuperrime;
vinum bibi, bibi merum,
gessi me protervum erum,
maledixi pessime

Dulci coniugi nolenti
indulgere mi pergenti
ad bibendum acrius.
Ex quo die vi doloris
os miserrimae uxoris
fit in dies macrius.

Vinum vere est venenum
mihi, vinum tibi plenum
ioci ac laetitiae.
Sucus igitur malorum
alimentum mihi morum
manet ac iustitiae.

At nos sumus familiares
fidi semper et hilares
hac in terra torrida:
Veritate contemplanda
anima est liberanda
siti gulae horrida.

GVILELMVS GROESSWANG

VISIO VAGANTIS

In colle olim mi paterna domus
sub cerasis in margine silvano,
in pratis mediis et agris flavis.
Profectus unde multos annos ante
in mundum foras eram inimicum.
Nunquam reversus. Mortui parentes,
iam alienus liberis sum fratris.
Sic solus terras permigrabam omnes,
fortunam nunquam pauper sed inveni.

At heri factum, ut ex improviso
exsurgerent vaganti Alpes montes
in lapidem ut versa unda maris.
Purpurea in lucem scintillabant
rosarum horti instar summi montes.
Fax ingens tenebris in atris mundi.

Illa sed nocte experrectus somno
in firmamento unam stellam quaero,
quam mater primam puero ostendit
in scamno sedens domum ad paternam.

‹Est tua stella› – bona olim dixit.
‹Stat super domo nostra omni nocte
ab angelo divino mi accensa,
cum primum te sub meo corde sensi.›

Quaesivi stellam tacitam per noctem.
Inveni eam serico in panno
nocturno aureum ut ornamentum.

‹O stella parva caelo in obscuro
a matre data patria in cara
filiolo, monstrare tu vis viam
me retro hanc ad domum nunc in colle?›

Subridet stella – mater ut solebat.
E corde meo intimo et alto
imago venit domus mi paternae.

IAM ATER VESPER ...

Kirkenes 1943

Iam ater vesper super monte stat
purpurea in luce falsi mundi.
Obdura cor, mox est dolendi sat
et dies venit tibi abeundi.

Submersa sunt in flumine annorum
mi amor, fides, spes et gaudia.
Hoc unum restat omnium illorum,
tu cordis amor, tu o patria.

Avorum terra inter altos montes
et flumen vetus, tu frugifera,
te ornant silvae, agri, lacus, fontes
et laeta civium industria.

Solacium in rebus mi adversis,
imago cara spesque unica,
ad te me vertar precibus et verbis
nunc hora atrae vitae ultima.

THEODORVS HERRLE

QVERELA DISCIPVLI

O miseram memoriam!
Heu, quantum est discendum iam.
Latina lingua perdidit
nos neque quisquam effugit.

Sunt multa quidem mascula;
non minus regnat femina.
Et neutrum genus fallit nos.
Iuvatne quid discipulos?

Cur distinguuntur tempora?
Cur duo verbi genera?
Personas numeramus tres
et idem modi species.

Vocabula sunt plurima,
pericula sunt maxima.
Qui ‹ut› et ‹cum› neglexerit,
rem totam male gesserit.

Et regulae immensae sunt,
quas multi non perspiciunt.
Exceptio firmat regulam.
Hoc quomodo intellegam?

Magistro vero credimus,
qui nihil putat pulchrius:
Adducent haec praeludia
Humanitatis praemia!

VAN LORAN JOHNSON

PRIMVS AVIAE VOLATVS

Daedalo dissimiles omnes pavebamus
petere caelestia. Pennis horrebamus
navigare temere nubila discreta.
Aliquis alacriter terra sane spreta
aetheris iam aequora peragravit cava:
denique impavide volitavit ava!

CAVE, CANIS!

O canis indocilis rerum,
   vox numquam faucibus haesit:
saevitia terruit multos
   sed paene neminem laesit.

Id esse cognoscimus verum,
   cum fauces saeviter hiant
inani furore feroces.
   Quo modo ceteri sciant?

LVNVLA

O luna novella,
es digna fabella
   quae versibus edat
itinera Sputnik
tam ardua ut nic-
   tans Lucifer cedat.

CONVENIMVS HIC

Dum terra virescit,
dum arbor frondescit,
dum aether nitescit
  convenimus hic.

Dum tellus vigescit,
dum virga florescit,
dum calor gravescit,
  convenimus hic.

Discipuli cedant,
aerumnae recedant,
magistri procedant,
  conveniant hic!

Dum schola silescit,
dum clamor decrescit,
dum cura quiescit,
  convenimus hic.

CANTVS HIEMALIS

Tempus adest frigidum: iterum videmus
candida cacumina; frigore algemus.
Ver redibit floridum graminumque dives:
desperare igitur o nolite cives!

Gelu constant flumina, nulla prata vigent,
acri silvae glacie laborantes rigent.
Sed redibunt segetes: mutat terra vices;
ergo divis talia tradite felices!

Nuda fiunt nemora; nivibus tenemur.
Fusca solis lumina: tenebris urgemur.
Ligna foco ponite, nunc auferte lites,
vina cado hilares promite Quirites!

ERNESTVS LEHMANN-LEANDER

CVM ME AD ORDINEM VAGORVM AGGREGAREM

Mihi nunc in mentem it
prata pervagari,
quia cito praeterit
ver, et soles rari.

Comparandus minime
ego sum scholari:
albicant canitie
crines mei rari.

Venter quoque studet iam
globum immitari;
ubi dentes mei sint,
nequirem effari.

Tamen cor et animus
– multo iuniores –
tractant puerilia:
cantus et amores!

Permutare gestio
meae vitae mores,
et in ventum scribere
studia, labores!

In vagorum ordine,
ubi potatores
et amantes fratres sunt,
quaero praeceptores!

Nunc Aurora matutina
prius iam rubescit,
nam solaris radius
crescit atque crescit.

Aves mane canticant,
pratum adolescit,
et iam primis floribus
hic, illic florescit.

Ante portas Ostara,
lepos ova pingit,
et hirunda rediens
nidum sibi fingit.

Contra ranas Adebar
gladium perstringit,
et poeta tempora
anemonis cingit.

Nemora pervagans cum
lyra, cum libello,
videt procul ludere
puellam cum puello.

Quid id est? quid applicat
labrum se labello?
Notat id poeta non –
non est Leporello.

Praeterit silentio
puerum, puellam,

neque prohibere vult
Veneris procellam.

Scandit solus vesperi
altam montis sellam,
contemplatur sapiens
solem, lunam, stellam.

DEOS PRECATVR POETA, VT VERSIBVS SVIS DENT RECTAS IMPRESSIONES

Laudo, te, Latinitas,
cum amoene sones!
Sed ut recte loquar te
me constanter mones.

Limen ne transsiliant
inepti praecones,
ante portas tuas stant
fervidi dracones!

Alter est grammatica,
quae terret tirones,
alter stilus elegans,
confutat calones.

Date mihi, caelites,
rectas impressiones,
ne, dum loquor, devorent
ambo me dracones!

NAVFRAGIVM

Deos precatur navis grex,
quia minatur gravis nex.
Asperitate sortis fit,
ut gubernator fortis sit:
cum oppressisset grando navem,
mortem effugit nando gravem;
nec artes illas vanas ridet,
qui nec submergi ranas videt!
Nonnullus scopulus venas radit,
sed tandem in arenas vadit.
Succubuit in prato fessus
et flebat suo fato pressus.

SI VIS PACEM PARA BELLVM?

Paratur iam cum pilo fax,
haeret in uno filo pax!

IN CANTOREM QVENDAM, QVI ORIS HIATV DISPLICVIT:

Valet humana multum vox,
deformat tamen vultum mox.

IN PLAVTVM

Dant in comoedia Plauti causa
celeres atque cauti plausa.

Qui vinum bibit, bibat libens,
deis aeternis libat bibens!
Ne nimis libet! vinolentus
fluctuat ut in lino ventus.
Quemcumque vinum domuit,
ter inter nundinum vomuit!

ALEXANDER LENARD

CARMINVM DEDICATIO

In stratis et fundis cunctis
ines in me –
cantemne nobis disiunctis?
Vel minime.

In somnii mystico mare
consolatrix!
Possumne te orbus exstare?
Putarem: vix.

REMEDIVM

... Malo proferre multum et non multa,
adpetens finem hicce linearum
indico autem maxima occulta:
amplexum halitumque puellarum.
Si sanguinis dumtaxat guttam habes,
effugit aetas et tabescit tabes ...

CLEMENS PLASSMANN

CHRONOGRAMMATA

MCMXLVIII

InfeLIX atqVe CrVCIata
EVropa beLLo LaCerata
In ChrIsto ConCors orIetVr;
Infesta seCVs MorIetVr.

MCMXLIX

Vae Mars sInIster speCVLatVr.
  EVropa LVgens pertVrbatVr.
Aeterne reCtor nostrae sortIs:
  tV, preCor, tV aDesto fortIs!

VERSICVLI QVASSATI

CONSTITVTVM

Agitat flosculum,
flagitat osculum.

SPES ILLIVS XX DIEI MENSIS IVLII MCMXLIV

Labitur dux –
dabitur lux.

VITAE CVRSVS

Canescunt vani,
vanescunt cani.

PHARISAEIS

Qui respicit Deum
non despicit reum.

MARS ET ARS

Furoris facem aluit Mars;
tranquillam pacem maluit Ars.
Profecto hostes arcet Mars;
in bello autem marcet Ars,
et quanto crescit acies Martis,
heu, tanto crescit macies Artis.
Est iracundus urus Mars,
humanitatis murus Ars.
Dementis, eheu, ira Martis
delentur dona mira Artis.
Vae mundo, si Mars oritur
horrendus, et Ars moritur.

OTTO SCHMIED

AENIGMATA

I

INCREDIBILITER

Quod pro *parte* cernitis
nunc humani corporis,
nunc est plus quam *tota* res:
sunt nonnulli homines.

II

IN CVSTODIA FIDA

In statione noctu stat
ad vocem vox et vigilat;
sed commutetur littera,
quae prima est, cum media.

III

AD DISCIPVLVM

Primum tibi est discendum
et *secundum* repetendum:
Si hoc velis facere,
totus non vexabit te.

ANTONIVS SMERDEL

PAPILIO

    Video:
    imaginem nitentem
in caeruleo aëra
    ut
fulgentem lusum lucis.

Quid attonitus expecto
    et
quid audio?
    Nil.
Felix gaudeo
    videns
pulchritudinem vibrantem
candidis alis volantem.

HERMANNVS STEINBERGER

PEREANT FRIGORA!

Hiems ferox et crudelis
diu nobis aberas ...
gravioribus nunc telis
vulnerat nos Boreas;
corpora mortalium
ferit frigus rigidum.

Hiems, satis nos visisti
diris cum comitibus –
sunt convivae truces isti,
quorum pungit halitus:
patiuntur inopes
aves, cervi, lepores.

Ubi sol est, qui calore
vincat istam rabiem?
Frange valido vigore,
o Matthia, glaciem!
Solve saeva vincula
verque nascens nuntia!

ENCOMION CEREVISIAE

Vina saepe cecini
versibus Latinis:
data laus est non inanis
Athesinis et Rhenanis
atque Palatinis.

Attamen ut fervidae
   sitis vim vincamus,
cerevisiam spumantem,
guttur suaviter beantem,
   fortiter bibamus!

Una cum Dionyso
   colimus Gambrinum!
Salve, nectar Bavarorum,
iam deliciae maiorum:
   cereale vinum!

IOSEPHVS TVSIANI

VNA DONATVR

Fruere herbarum redolente vita
accipeque istud germinans ex humo
viride donum, qui ex eadem matre
provenis, homo.

Candide mane et aspice sub alto
limine caeli lumen inexstinctum,
adhuc eandem qui serenitatem
appetis, homo.

Una donatur homini rebusque
hora quietis a supernis. Vivunt
conscii fati flores. Caelum mendax
tu quoque scito.

Dignius, homo, est brevitate frui
breviaque hora lilia videre,
quam maius lumen quaerere et umbrosam
tangere mortem.

PETRVS WIESMANN

SECVNDVM GVILELMVM BVSCH

Accessit musca aliquando
in mellis plenum vas volando.
Hic linguam ad libidinem
immisit in dulcedinem.
Iam satis musca linxerat,
cum alas suas explicat,
vult sursum denuo volare.
Sed eius crus in mellis suco
captatum est tamquam in visco.
Tum musca incipit cantare:
‹Di, liberate me – io! –
ex dulci hoc servitio!›

Amicus quidam, qui videbat:
‹Non est ignotum mi!› gemebat.

PALMASTRON

(Secundum Christianum Morgenstern)

Stat ad stagnum explicatque
Palmastron sudarium.
Sunt impicti quercus atque
vir legens breviarium.

Se immungere non audet,
uti linteo non gaudet:
Insperato denudatus
rebus pulchris est captatus.

Pietate tum adductus
linum denuo complicat.
Quod evatit non emuctus,
sentiens non iudicat.

SAEPTVM

(Secundum Christianum Morgenstern)

Fuit saeptum ex asserculis,
per spatia vides oculis.
Sed faber, qui conspexerat,
repente vesperi aderat.
Exemit saepto spatium,
quo construxit palatium.
Asserculique stulti stant,
quod spatia non circumdant.
Adspectus huius pertaedet,
quare senatus demovet.
Effugit autem faber clam
in Afri- aut Americam.

COMMENTARIOLVS

AVCTORES ET ANNOTATIONES

TITVLI ET INITIA CARMINVM

INDEX

COMMENTARIOLVS DE LITTERIS LATINIS RECENTIORIBVS

AD IOSEPHVM EBERLE DOCTOREM HONORIS CAVSA ET POETAM ELEGANTISSIMVM

Haud nescis, illustrissime vir, nostrâ memoriâ historiographos litterarum Latinarum aetatem tertiam, quae *Antiquam* et *Mediam* secuta ab *humano cultu* nomen traxit, admodum neglegere vel etiam omnino ignorare. Multi enim maximâ iniuriâ linguam Latinam iam diu mortuam atque exstinctam esse contendunt, alii opera poetarum recentiorum vanas habent exercitationes scholares. Qui quam gravi errori omnes involvantur, haud facile dixerimus! Nam et litteras Latinas post tot saecula usque adhuc florere quingenti illi poetae ostendunt, qui post annum MCM carmina ediderunt, iique quam vero quamque intimo aestu poetico ad carmina Latine pangenda cogantur saepius e familiaritate, qua cum nonnullis eorum coniuncti sumus, clare percepimus. Isti tantum viri, qui linguam Latinam corpus quoddam putant medicatum et dissecandum, quo ex corpore scientiarum ossa eruant, sentire non possunt profundum illud et quasi divinum gaudium, quo etiamnunc Latini scriptores, ubi ad Musas Latinas accesserint, suavissime perfunduntur. Nos autem, qui linguam Latinam ut matrem colimus ac diligimus, nimium quantum incepto tuo gavisi sumus, quo magnum poetarum qui nunc sunt numerum in unum quasi corpus congregares libentique animo munus suscepimus paululum de scriptoribus Latinis novissimis disserendi.

Historiam tertiae illius aetatis, quae a tempore Francisci Petrarcae (1304–1374), viri nobilissimi, ad nostros dies extenditur, parum eheu viri docti perscrutati sunt quam ut singula spatia iam satis accurate discerni ac discribi possent. Itaque non nisi perfunctoriam velut et vagam adumbrationem proponere possumus, cuius tamen lineamentis praecipui harum litterarum rivi, quomodo alius alium continuo flumine exceperit, satis illustrantur. Postea vero, ut lectoribus amplioris harum litterarum cogni-

tionis cupidis viam praemonstremus, breviter maioris momenti libros, qui de poetis Neolatinis scripti sunt, recensebimus.

Saeculo XIV, cum Media Aetas Latina, aliquamdiu optimis effusis viribus, sensim sine sensu defloresceret, viri litterati Italiae magis magisque ad antiquas Latine scribendi normas redire coeperunt, simul etiam rempublicam litterariam christianam novâ eâque humanâ, unde religio non expellebatur sed intra quosdam terminos retinebatur, mutaverunt. Novi poetae, ut Terentiani loquamur, homines esse voluerunt humanique nihil a se alienum putabant. Qui motus litterarius saeculo XV Neapoli Romae Florentiae Ferrarae aliisque in urbibus laetissimos fructus tulit nonnullosque poetas procreavit – quorum Pontanum (1426–1503) memorare sufficit – qui Antiquos ne dicamus superaverunt, saltem tamen aequavere. Qui, ad poesin amatoriam quod attinet, vix pares inter ceteros orbis occidui vates habent habiturive sunt.

Haec litterarum instauratio a saeculo XV exeunti mira celerique quadam humanismi ambitione, Alpibus superatis, omnes omnis Europae, post etiam Americae regiones atque civitates singulari sua gratia cepit.

Dein, dum saeculum XVI transit, certaminibus pro religione christiana reformanda vel servanda undecumque in Europa coortis, scriptores ‹reformati› primum, post etiam ‹contrareformati› rursus animos ad res sacras et divinas revocaverunt ac fidem suam novo flagrantissimoque ardore propugnarunt. Quos, procella sedata, ingens illa piae poesis copia excepit, quam prae ceteris socii Iesu saeculo XVII profuderunt. Poetae hi plerumque sensuum robore et novitate minus commendantur quam summâ sermonis elegantiâ versibusque quam maximâ curâ ad unguem castigatis atque expolitis. Multi simul poetae profani haud minore arte res humanas canebant. Nam erat etiam tunc tempus, quo Parnasus Latinus isdem honoribus dignus habebatur quibus vernaculus. Itaque, ut exemplum ponamus, apud Francogallos Ludovico XIV regnante bonas litteras non tantum summi poetae vernaculi illustrabant sed etiam ‹Pleias Latina›, cuius ferrea nostra aetas oblivisci solet, quam aequales vero laudibus efferebant.

Interim docta poesis, quae numquam mortua fuit, alterâ saeculi XVII *parte tantopere invaluit* – puta Renati *Rapini* S. I. *Hortorum* libros IV anno 1665 editos – ut proximum tandem saeculum magnâ ex parte sibi vindicaret. Quod tempus carminibus astronomicis georgicis philosophicis physicis abundat.

At anno eheu 1773, quo tempore philologia poesi saepius inimica nascitura erat, ordo societatis Iesu, quae Musarum Latinarum arx erat firmissima, iussu Clementis *summi pontificis* dirimitur. Quo factum est ut intra breve tempus poetarum Latinorum numerus valde minueretur itaque pulcherrima illa elegia, quam Michael Denisius Austriacus (1729–1800) *Exstinctae suae societati* scripsit quasi quidam cantus funebris poesis Latinae haberi potuit.

Nefastis illis auspiciis saeculum XIX inchoatum est. Accessit quod pauci, qui supererant scriptores Latini, ab aequalibus suis romantico illo et impotenti sui cuiusque sermonis amore occaecatis despicatui, vel etiam risui habebantur. Deserebantur igitur magis magisque Musae Latinae, quarum in locum Philologia successit. Redire videbantur exeuntis Antiquitatis tempora, morientis Mediae Aetatis saecula. Tertio silebant Musae inter doctos ... Nam si qui erant viri rari, qui Latine versificarent, non tam sui ingenii specimina quam versiones carminum vernaculorum proferebant.

Tum vir humanissimus Batavus, Iacobus Henricus Hoeufft Dordracenus (29.6.1756/Bredae 14.2.1843), quem honoris causâ nominamus, iuris peritus et Musarum amantissimus, sacram poesin pereuntem amare dolens quasi novus quidam et nobilis Maecenas exstitit. Qui, ubi diem supremum obiit, Instituto Nederlandico, cui postea Academia Regia Disciplinarum nomen datum est, magnam pecuniam legavit, qua singulis annis certamen poeticum scriptoribus Latinis proponeretur. Cuius *certaminis Hoeufftiani* anno 1845 primus nummus aureus quadringentorum florenorum adiudicatus est Didaco Vitrioli (1818–1898), poetae iuveni e Calabriâ oriundo, qui carmen epicum et lyricum, *Xiphias* inscriptum, miserat de piscatione gladiorum in freto Messanensi.

Opusculum hoc, ex quo novissima illa Latinarum litterarum ratio, quam *Neohumanismum* appellare consuevimus, quodammodo proventura erat, illo tamen tempore ea sola avicula apparuit, quae – ut Flandrici dicunt – ver non reducit. Nam post primum Vitrioli successum, Latinae poesis amore ubicumque terrarum frigente, certamen diu satis in Academiae Batavae loculis placido somno sepeliebatur, dum circa annum 1875 eas tandem vires adsumeret quibus brevi summam ad maturitatem invalesceret. Tum demum Hoeufftianum inceptum primum revera ac pernecessarium fulcrum factum esse patuit quo novus et vitalis ille Latinitatis hodiernae impetus sustineretur. Alii simul viri humanissimi ab exeunte saeculo XIX emicantem hunc florem in quantum potuerunt fovebant, pars commentariis Latinis edendis, pars etiam novis excitandis certaminibus. Itaque fieri potuit ut litterae Latinae, quae aliquando intermori videbantur, validae vegetaeque ad nostros usque dies servarentur, immo vero novo quodam decore vestirentur. Quodsi eae litterae minus quam par est extra poetarum Latinorum, qui nunc sunt, circulum innotuerunt, id variis causis imputandum esse arbitramur. Primum a viris doctis philologis, qui Musas deseruerunt ab iisque deserti sunt, superbe spernuntur. Qui quoniam ipsi Latine scribere non iam possunt, nullum huiusce temporis hominem oestro Latino percitari posse praedicant. Dein, barbarie rursus ingruente, quam plurimi homines Latinitatem, commune cultus occidentalis vinculum, aut neglegunt aut inimici etiam abicere conantur. Sunt tandem haud pauci viri, etiam inter ingenia cultiora, qui perperam putant poetam nonnisi nativo suo sermone plenum animum aperire posse. Quam longe autem a veritate aberrent facile est videre ex illis poetarum illustrissimorum carminibus, qui inde a litteris renatis et Latine et vernacule, saepius etiam dialecto domesticâ utentes cecinerunt. Quod et tu facere soles, optime doctor, qui carmina Latina Germanica Suebica divulgasti, et multi, qui tecum in hacce anthologiâ tuâ reperiuntur, ut Gaertner Morabito Polidori Schnur Smerdel Tusiani etc.

At paulo altius ad historiam neohumanismi q.v. revertamur, cuius et hic liber propago laeta est.

Ratio litteraria, qui ‹neohumanismus› iam multos per annos parum accurato vocabulo dicitur, reapse ‹romantismus classicus› appellandus esse videtur. *Classicum* eâ de causâ dicimus, quod omnia fere carmina ad normas versificandi antiquas composita sunt, *romantismum* autem quia poetae isdem illis sensibus et argumentis ad canendum commoventur, quibus et scriptores vernaculi. Nam ut exempli gratiâ selecta quaedam delibemus, quis est qui ex hisce Michaelis Antoni Caro (1843–1909) Columbiani versiculis auram romanticam non percipiat:

Ad Ventulum

Quas, magica arte potens, membris das, ventule, vires
  Flamine cum mulces tempora nostra tuo?
Unde venis vagus et placidus, quove impete pergis
  Qua residere paras, qua statione mori?
Tu flores lambis, frondes quatis, aequora crispas,
  Optata erranti nec datur ulla quies ...

Poesias latinas, Bogotae, 1951, p. 12

vel ex hisce Hermanni Weller (1878–1956) Germani distichis:

Quaelibet hic quodam resonat modulamine rupes
  Veraque sub foliis carmina dicit avis.
Carmina praecipites rivi fontesque susurrant,
  Carmina silva virens, carmina prata sonant ...

Carmina Latina, Tubingae, 1946, p. 80

vel, ut a naturâ ad nova hominum inventa animum transferamus, hoc tramen vaporarium a Petro Esseiva (1823–1899) Helveto graphice delineatum:

Ferri aerisque rigens stat monstrum immane metallo,
Terra et Vulcano partum, nova forma Chimaerae
Ferreis fulta rotis, cui perpetuo ordine centum
Vincti a tergo haerent ingenti pondere currus ...
                  ... Tum stridula sibila ventis
Crebrescunt scissis ...
Tum quoque nigrantem fumum mixtasque favillas

Evomere et tardo primum discedere motu;
At citius citiusque fugit stimulo excita caeco, –
Agmen agens currum: fert impetus ipse ruentem,
Emensumque atra spatium caligine signat ...

Via Ferrea: *Carminum libri IX*, Friburgi Helv., 1894

vel dolor hic solitarius, quem J.B.Pigato (* 1910) ita expressit:

Deserta nos et tristi convalle vagari,
Plura licet centena homines ad millia densi
Stipentur simul, angusta et regione premantur.
Pertrahimur nostro curvi sub fasce doloris
Nempe omnes, nec erit pondus qui ponere possit ...

Epistola ad discipulum, Amstelodami, 1954, vv. 101–105

At iam satis est. Nunc quomodo romantica illa indoles etiam ex argumentis, quae vates cantanda selegerunt, eluceat quaeramus. Notum est scriptores vernaculos Antiquitatis cultum humanisticum omnino abiecisse ut suam cuiusque gentis proprietatem, nonnumquam fictis quidem laudibus, potius celebrarent. Simul autem haud deerant auctores, qui ad antiqua tempora oculos referebant. Quae tamen non iam exempla sui temporis habebant, verum materiam ad fabulas fingendas dramaticas velut de christianis pro fide vexatis noctuque in catacumbis latitantibus.

Simili modo poetae Latini ab argumentis didacticis, quae decessores sui prae ceteris dilexerant, ad dramatia Romana velut ad fontem novae poesis avidi decurrebant. Cuius rationis maximam et, si quid auguramur, immortalem gloriam adeptus est Ioannes Pascoli (1855–1912) Italus, omnium sui temporis poetarum Latinorum facile princeps. Illius tamen praecursores, qui viam quâ ad summum fastigium poesis neohumanistica perveniret feliciter aperuerunt, haudquaquam silere possumus. Vitriolius enim, ubi Xiphiadis carmine aequalium et seniorum vestigia admodum secutus est, postea tamen vitam Romanam, qualem ex repertis archaeologicis noverat, novâ poetisque Latinis incognitâ quâdam animi commotione celebravit. Cui succedit Petrus Esseiva, qui non tantum elegiis Romanis et ipse inclaruit, sed

etiam Iudithae Tobiae aliorumque causis e Vetere Testamento refictis. Tunc autem partes excepit Pascolius, qui illud genus poeticum creavit, quod neohumanismo proprium est: dramatium dicimus historicum et lyricum, quo homines antiqui ita inducuntur ut eos hoc nostro tempore viventes agentes disputantes putares. Scaena Romae est, rarissime inter Graecos, sensus autem et sententiae poetam huius aetatis totiusque humanitatis praeconem produnt. Et ita revera res habenda est: ex ore enim Antiquorum, quos graphice revivificat, ipse Pascolius locutus est, homo humanissimus, iustitiae socialis et indulgentiae propugnator acerrimus, amoenitatum naturae admirator fervidus et cantator tenerrimus, Romae tandem gentium reginae civis fidelissimus. Quis enim mirari potest quod Pascolius atque una cum eo omnes poetae Latini Urbis aeternae flagrant amore. Nam et ipse, care amice, aliquando exclamasti:

Quamquam, Urbs, imperio
Tuo militari
Orbis diu desiit
Regi vel pacari,
Tibi tamen convenit
Semper dominari,
Ut solebant maximi
Vates tui fari.

Tu nam regis animos
Vi Latinitatis,
Magis quae complectitur
Linguis te prognatis:
Tibi debent homines
Nomen libertatis,
Sensum rei publicae,
Rem humanitatis.

Ita et Pascolius hymnum solemnem Romae dicavit, quo num quae celsioris orationis verba corde incitato promi possint valde dubitamus:

Aeternum spiras, aeternum, Roma, viges. Tu
Post multas caedes, post longa oblivia rerum
Et casus tantos surgentesque undique flammas,
Tu supra cineres formidatasque ruinas
Altior exsistens omni de morte triumphas;
Tu populis iuris per te consortibus offers
Mirandam te nunc in primo flore iuventae,
Pallantis similem, tutam fulgentibus armis,

Accinctam gladio: terrarumque imminet orbi
Illa ingens, cuius gentes de lumine lumen
Primum accenderunt, quae nobis discutit umbram,
Roma potens, vitae potior tua tempore lampas!

vv. 434–444

Pascolium innumeri vates imitati sunt neque nunc desunt egregia poetarum ingenia, quae similia dramatia fingunt.

Attamen post alterum bellum universale compositum auctores plurimi ab hoc genere ad carmina mere lyrica transierunt, quibus se vitaeque suae adiuncta voluptates dolores fidem et spes, nullâ iam interpositâ personâ, canunt. Quorum pars metra antiqua observat quam maximâ diligentiâ, alii normas laxiores habent, pauci tandem rhythmos Mediae Aetatis praeferunt vel etiam novos e sonorum numerositate condunt. Huius tantae varietatis et copiae, Latinitatis vitalis testimonii luculentissimi, exempla selecta hic liber exhibet. Qui itaque Latinae poesis, quae nunc est, clarum speculum haberi potest, nisi quod carminum piorum specimina consulto omissa celat.

Haec sunt, humanissime doctor, quae de poesi Latinâ recentiore in universum dicere voluimus. Quam ut homines cultiores non derelinquant vel ad eam recurrant una tecum speramus. Nam etsi litteris vernaculis nullâ ex parte adversamur, immo vero ex earum diversitate et proprietate incomparabiles civilitatis occidentalis copias parari penitus persuasum habemus, simul tamen inter omnes omnis Europae atque Americae populos vetustissimam hanc et unam communem copulam integram esse servandam censemus, quae est poesis Latina. Haec porro nullis dignitate cedit, plurimas gravitate et gratiâ antecedit. Etenim, ut Ioannes Bergman vir doctus Suecus in praefatione suorum *Carminum Latinorum* (Upsaliae, 1898) impavide praedicavit, *Multas quidem variarum linguarum Musas vidimus, nullas autem dignitate maiore admirandas, nullas clariore excellentes voce, nullas, ut breviter dicam, magis regias vel prope divinas et quasi ad imperandum natas ut ipsa, undet exorae sunt, gentium regina, Roma ...; certe, qui hoc amore perit, non indigne amat!*

Et quot quantaque ingenia hoc amore capta sunt! Nos quidem certo scimus ab anno 1875 ad nostros dies poetas Latinos fuisse et esse et, ni fallimur, etiam futuros esse apud Italos, Hispanos, Lusitanos, Francogallos, Belgas, Batavos, Anglos, Hibernos, Suecos, Fennos, Lettones, Russos, Polonos, Germanos, Helvetos, Austriacos, Cescoslovacos, Hungaros, Dacoromanos, Iugoslavos, Americanos, Columbianos, Aequatorianos, Brasilienses et Argentinienses.

Liceat tandem nobis, illustrissime vir, huic commentariolo brevem laterculum subnectere, quo via ad locupletiorem poetarum Latinorum recentiorum scientiam praemonstretur. Caveas tamen, quaesumus, absolutum operum de litteris Neolatinis elenchum heic requiras, quem alio loco ad unum tantum alterumve annum edere posse speramus. Haec interim tabula post opera generalia commentarios exhibebit de scriptoribus singularum nationum vel urbium vel sacrorum ordinum vel etiam scripta de quibusdam litterarum generibus.

Inter opera vetustiora praeter alia haec memoriae gratiâ adferre velimus:

LILIUS GREGORIUS GYRALDUS, *De Poetis nostrorum temporum* (1551; editio altera auctior, 1580; hoc opus Carolus Wotke anno 1894 Berolini edidit in serie Weidmannianâ: *Lateinische Literaturdenkmäler des 15. und 16. Jahrhunderts*).

JEAN BRUNEL, *Le Parnasse latin moderne ou Choix des meilleurs morceaux des poètes latins, qui se sont le plus distingués depuis la Renaissance des Lettres, avec la traduction française et des notices biographiques* (Lugduni, 1808, t. I et II).

P. A. BUDIK, *Leben und Werke der vorzüglichen lateinischen Dichter des 15. bis 18. Jahrhunderts* (1827).

H. HALLAM, *The Literature of Europe during the 15th, 16th and 17th Centuries* (Londinii, 1837–1839, t. I–IV).

Inter opera recentiora autem haec praesertim legantur:

ALEX. BAUMGARTNER S. I., *Geschichte der Weltliteratur:* vol. IV, *Die lateinische und griechische Literatur der christlichen Völker* (Friburgi Brisgoviae, 1925²), qui historiam litterarum Latina-

rum usque ad Petrum Esseiva et Leonem XIII P.P. descripsit. Attamen saeculorum XVIII et XIX summarium tantum brevissimum dedit.

I. IJSEWIJN-JACOBS, *Latijnse Poëzie van de twintigste Eeuw* (Lirae, 1961). In hoc libro praecipuos huiusce saeculi nonnullosque saeculi XIX poetas Latinos tractavimus.

E. POGNON, *Littérature latine de la Renaissance: l'Antiquité retrouvée; Littérature latine moderne: le Retour à l'Eglise* (Parisiis, Encyclopédie de la Pléiade: Histoire des Littératures, vol. II, Littératures occidentales, 1956, pp. 275–288 et 289–311).

P. VAN TIEGHEM, *La Littérature latine de la Renaissance: Etude d'Histoire littéraire Européenne* (Bibliothèque d'Humanisme et Renaissance, Travaux et Documents, t. IV [Volume A. Lefranc], 1944, pp. 177–418).

G. VOIGT, *Die Wiederbelebung des classischen Alterthums oder das erste Jahrhundert des Humanismus* (Berolini, I–II, 1880–1881², 1960⁴).

F. A. WRIGHT et T. A. SINCLAIR, *A History of later Latin Literature from the Middle of the fourth to the End of the seventeenth Century* (Londinii, 1931).

His accedunt:

G. ELLINGER, *Geschichte der neulateinischen Literatur Deutschlands im sechzehnten Jahrhundert.* Nobilissimum hoc opus, quod auctor imperfectum, eheu!, relinquere debuit, poetis Italis Germanis et Nederlandicis dicatum est. Tria volumina prelo exierunt, quae sunt:

I. *Italien und der Deutsche Humanismus in der neulateinischen Lyrik* (Berolini, 1929).

II. *Die neulateinische Lyrik Deutschlands in der ersten Hälfte des 16. Jahrhunderts* (1929).

III. 1. *Geschichte der neulateinischen Lyrik in den Niederlanden vom Anfange des 15. bis zum Anfange des 17. Jahrhunderts* (1933).

A. SCHROETER, *Beiträge zur Geschichte der neulateinischen Poesie Deutschlands und Hollands* (Berolini, 1909).

Transeamus nunc ad historias speciales poetarum

a) Italiae:

Praeter historias litterarum Italarum, inter quas Tiraboschianam imprimis memoramus, haec opera magnae sunt utilitatis:

B. Croce, *Poeti e Scrittori del pieno e del tardo Rinascimento* (Barii, 1945, I + II).

B. Arnaldo, *La Poesia neolatina dal secolo XIV al presente: saggio e versioni poetiche* (Città di Castello, 1900).

C. Tincani, *Prosa e poesia latina: Parte seconda, dal secolo IV al secolo XIX* (Florentiae, 1901).

M. Corallo, *Il movimento neoclassico dal Vitrioli ai nostri giorni* (in libro: *La poesia latina di Vittorio Genovesi*, Mediolani, 1945, pp. 1–29).

V. R. Giustiniani, *Die neulateinische Dichtung in Italien 1840 bis 1950* (Tubingae, 1961): hunc librum historiae poesis neohumanisticae maximi momenti habemus. Cuius auctori ex animo gratias reddimus, qui nobis librum manuscriptum etiam legendum atque usitandum tradidit.

Th. Sorbelli, *La nuova poesia in Italia* (in libro: A. Casoli, *Lyricorum liber*, Mutinae, 1922, pp. V–XXVIII). Hanc commentatiunculam Iosephus Morabito Messanensis, vir humanissimus, nobis e libro divendito benevolus transcripsit.

b) Hispaniae et Lusitaniae:

D. J. Hurtado, *Los humanistas españoles del Renacimiento (Bosquejo Histórico); Principales Poetas Latinos en España desde los tiempos de los Reyes Católicos hasta hoy* (in libro – quem nobis J. M. Mir Barbastrensis humanissime misit – P. Tomas Viñas de S. Luis, *Versiones de Poesias Hispañas*, Barcinone, 1927, pp. IX–LIV).

E. T. Sanchez, *La lírica latina en el Siglo de Oro español 1500–1700* (Estudios Clasicos 3 [1955–1956], pp. 192–210 et 287–303).

P. Verrua, *Cultori della poesia latina in Ispagna* (Adriae, 1906).

c) Francogalliae:

P. Barrière, *La littérature française de langue latine* (Lettres d'Humanité 6 [1946], pp. 167–189).

M. D. Murarasu, *La poésie néo-latine et la Renaissance des Lettres antiques en France* (Parisiis, 1928).
R. D. Vissac, *La poésie latine en France au siècle de Louis XIV* (1862).

d) Angliae:

Leicester Bradner, *Musae Anglicanae, A History of Anglo-latin Poetry 1500–1925* (Londinii et Novi Eboraci, 1940).
W. Mann, *Lateinische Dichtung in England vom Ausgang des Frühhumanismus bis zum Regierungsantritt Elisabeths. Untersuchung zur nationalen und religiösen Grundlegung des englischen Humanismus* (Halis, 1939).
F. J. E. Raby, *Writings in Latin* (The Cambridge Bibliography of English Literature, I, Cantabrigiae, 1940).

e) Belgii et Nederlandiae:

F. Lecouvet, *Hannonia poetica ou les poètes latins du Hainaut* (Tornaci, 1859).
P. H. Peerlkamp, *Liber de vita doctrina et facultate Nederlandorum, qui carmina latina composuerunt* (Leidae, 1843²).
Hunc librum compleverunt:
M. Th. Hillen, *Commentatio de vita doctrina facultate Nederlandorum, qui post Peerlkampii librum emissum carmina latina composuerunt* (Zutphaniae, 1924), et
L. van Miert, *Latijnsche dichters in Nederland gedurende de laatste eeuw* (Studiën 56 [1924], pp. 424–435).

f) Germaniae et Austriae:

G. Manacorda, *Della poesia latina in Germania durante il Rinascimento* (Romae, 1907).
Newald-de Boor, *Geschichte der deutschen Literatur* (Monachii, 1957–1959) passim et imprimis in tomis V et VI/1.
A. Pernwerth von Bärnstein, *Imitata; Lateinische Nachbildungen bekannter deutscher Gedichte von Adolf P. v. B., mit einer kurzgefaßten Geschichte der lateinisch-rhythmischen Nachbildung deutscher Gedichte* (Lipsiae, 1897). Huius libelli rarissimi exemplar in bibliotheca Universitatis Lipsiensis nuper detexit Carolus L. Weitzel Silvaehutensis.

F. Müller in *Zeitschrift für das Gymnasialwesen* 54, N.F. 34 (1900), pp. 23 sqq. magnum poetarum germanicorum numerum, qui saeculo XIX floruerunt, breviter recensuit.

g) Poloniae:

M. Kasterska, *Les poètes latins polonais jusqu'en 1589* (Parisiis, 1918).

F. L. Schoell, *Une discipline négligée, la littérature latine de la Renaissance* (Lettres d'Humanité 7 [1947], pp. 140–164) magna ex parte poetis et scriptoribus polonicis saec. XV–XVII dicatum est.

T. Sinko, *Poezja nowołacińska w Polsce* (Encykl. Pol., XXI, pp. 73–145).

h) Hungariae:

T. Kardos, *La Hongrie latine* (Parisiis, 1944): nondum vidimus.

i) Iugoslaviae:

A. Cronia, *Aspetti caratteristici dell'umanesimo in Dalmazia* (Atti Istituto Veneto 113 [1954–1955], pp. 43–70.)

Grandem materiam ad poetas Illyricos pertinentem collegit T. Smerdel Zagrabiensis, cuius et nos humanissime participes fecit.

k) Columbiae:

J. M. Rivas Sacconi, *El latín en Colombia: bosquejo histórico del humanismo Colombiano* (Bogotae, 1949).

l) Singularum tandem nationum poetas latinos, qui post annum 1900 carmina ediderunt ipsi breviter recensuimus in *Conspectu poetarum latinorum saeculi vicesimi* (Euphrosyne 3 [1961]).

Sunt etiam libri aliqui, quibus unius urbis scriptores illustrantur. Inter quos habendi sunt:

G. Bottiglioni, *La lirica latina in Firenze nella II metà del secolo XV* (Pisis, 1913).

E. G. Gardner, *Dukes and Poets in Ferrara* (1905?).

L. Witkowski, *Poeci nowołacińscy Torunia* (Toruni, 1958), cuius libelli summarium praebet *Bibliotheca Classica Orientalis* 5 (1960), col. 316–317.

Ad opera poetarum latinorum societatis Iesu et Scholarum Piarum cognoscenda multum valet Alegambii Bibliotheca scriptorum S. I., cum duobus supplementis, quae R. Caballero annis 1814 et 1816 Romae edidit. Item quae scripsit C. Eguia S. I., *Los Jesuitas y la versificación latina* (Humanidades 4 [1952], pp. 164–179) necnon et *Index Bio-bibliographicus Scholarum Piarum*, quem Thomas Viñas Romae foras dedit (I, 1908; II, 1909; III, 1911).

Ultimo loco opera quaedam memoremus, in quibus de singulis litterarum generibus copiosius agitur. Quorum illa nominatim adferre supersedimus, quae haud rara prodierunt in commentariis, q. t. *Studies in the Renaissance* (Novi Eboraci, 1954 sqq.)

a) De carminibus epicis scripsit K. Borinski, *Das Epos der Renaissance* (*Vierteljahrsschrift für Kultur und Literatur der Renaissance*, 1 [1886], pp. 187 sqq.).

b) De carminibus astrologicis egit B. Soldati, *La poesia astrologica nel Quattrocento* (Florentiae, 1906).

c) Epigrammata anglo-latina tractavit H. H. Hudson, *The latin Epigram in the English Renaissance* (Princeton, 1947).

d) Librum *La Poesia pastorale* (quem nondum vidimus) Mediolani edidit E. Carrara.

e) De lyra latina legas A. Sainati, *La lirica latina nel Rinascimento* (Pisis, 1919) et E. Costa, *Antologia della lirica latina in Italia nei secoli XV e XVI* (Città di Castello, 1888), cui libro ampla introductio praemissa est.

f) Nonnulli tandem auctores historiam poesis scaenicae illustraverunt:

E. Boysse, *Le théâtre des Jésuites* (Parisiis, 1880).

W. Creizenach, *Das Lateinische Drama*, in altero tomo, pp. 1–181, libri, cui titulus est: *Geschichte des neueren Dramas* (Halis, 1901).

M. R. Lebègue, *La Tragédie religieuse en France 1514–1573.*

J. Müller S. I., *Das Jesuitendrama in den Ländern deutscher Zunge vom Anfang (1555) bis zum Hochbarock (1665)* (Augustae Vindelicorum, 1930).

A. STENDER-PETERSEN, *Tragoediae sacrae. Materialien und Beiträge zur Geschichte der polnisch-lateinischen Jesuitendramatik der Frühzeit* (Dorpatae, 1931).

g) De carminibus vernaculis in Latinum sermonem conversis consulas:

J. A. GAERTNER, *Latin Verse Translations of the Psalms 1500–1620* (Harvard Theological Review 49 [1956], pp. 271–305).

E. GRÜNWALD, *Deutsche Poesie in lateinischem Gewand* (Zeitschrift für den deutschen Unterricht 16 [1902], pp. 601–635).

W. L. GRANT, *Ut universo orbi prodessent* (The Phoenix 8 [1954], pp. 64–70).

Iam veremur, doctor clarissime, ne haec tabula longior facta sit. At priusquam sermoni finem imponamus, haud possumus quin mentionem adhuc faciamus commentariorum trimestrium, qui hoc nostro tempore Latine edantur. Quattuor enim sunt, quos cunctis poesis Latinae vivae amantibus innotescere velimus, nempe:

LATINITAS, in Civitate Vaticana,

LINGUA LATINA, quam Nicolaus Lusito proximo anno Paulae in Italia condidit (Basilica di S. Francesco, PAOLA-Santuario (Cosenza),

PALAESTRA LATINA, quae Barbastri in Hispania prodit (Condé 2, Barbastro [Huesca]).

VITA LATINA, quae Avenione foras datur (Musée Théodore Aubanel, place St-Pierre 9, Avignon).

In his igitur commentariis scripta Latina tam pedestria quam poetica statis temporibus proponuntur, simul autem nuntii divulgantur de novis libris ad rem Latinam pertinentibus.

Quibus memoratis, huiusce commentarioli finem faciamus, illustrissime vir, quem non nimis anthologiâ tuâ indignum esse speramus. Anthologiam enim Latinitatis semper vitalis novum fore monumentum pro certo habemus, quo omnes Latinae linguae cultores et amantes gratissimos tibi semper devincies. Vale!

Scripsimus Antverpiae, I. et L. IJSEWIJN-JACOBS

ALOISE, FRANCISCVS: Longobardis, in oppido Italiae Inferioris, anno 1922 natus est. Puer sedecim annorum, ecclesiasticae vitae initiatus litterarum atque philosophiae optimis usus est magistris. Anno 1947 sacerdotio auctus atque animarum curio nominatus Sabatium missus est. Anno 1951 doctor Latinarum Graecarumque litterarum in Pontificio Seminario Beneventano a Sacro Concilio Seminariis Studiorumque Universitatibus praeposito est renuntiatus. Nunc est Nicotriensis ac Tropiensis Seminarii rector et Capituli Cat. canonicus. Socius h.c. Philologorum Academiae et Consentinae. Epigrammata Graeca et Latina hoc anno in lucem edet. – Domicilium: Seminario Vescovile di Tropea (Cz). Italia.

Fons: Palaestra Latina 169, 1960.

BOROVSKII, IACOBVS, M.F.: natus anno 1896; civis Unionis Rerumpublicarum Sovieticarum Socialisticarum. Litterarum humaniorum studia iniit in gymnasio Petropolitano sexto, deinde versatus est in Universitate Petropolitana, nunc Leninopolitana, ubi eum docuerunt viri docti Zielinski, Maleïn, Žebelov, Cereteli, Tolstoj aliique. Dissertatione inaugurali ‹De Vergili codice Golicyniano› defensa veniam docendi adeptus est, quo munere in eadem Universitate etiamnunc fungitur. – Domicilium: Universitas, Leningrad. USSR.

Ad *Lomonosovianum:* Michael, Basilii filius, Lomonosov (1711–1765): Russiae parens litterarum, imprimis physicae et chemiae, et vir litteratus egregius ipse, emendator linguae Russicae, cuius primam grammaticam scripsit, socius Academiae Moscoviensis, poeta temporibus suis praestantissimus.

BROŽEK, MIECISLAVS (Miecislaus Broscius): Polonus, natus anno 1911; gymnasii classici in Pszczyna, quod est oppidum in Silesia situm, alumnus, annis 1931–1936 facultatis philosophiae Universitatis Iagellonicae Cracoviensis studiosus philologiae classicae studiis vacavit. Anno 1939 doctoris philosophiae hono-

rem adeptus est. Belli, quod eodem anno exarsit, periculis ac calamitatibus misere vexatus, sed tandem feliciter ereptus opuscula quaedam lingua Latina aut Polona conscripta divulgavit, quae sunt de Prudentio ‹Pindaro Latino› (1954–1958), de Philippo Callimacho Vitae Dlugossii auctore (1959), de Vita Terentii Suetoniana (1959), de Terentio eiusque fabulis (1960), de Ciceronis orationibus consularibus (1960), de Ciceronis Catone et Caesaris Anticatone (1959), de Ciceronis epistula suasoria ad Caesarem scripta (1959), alia. In linguam Polonam vertit opera Theophrasti, Sophoclis, Quintiliani, Plutarchi, Polybii, Sallustii, alia. Certaminis Capitolini XII praemio altero a. 1961 ornatus est. Hoc tempore litteras Latinas in Universitate Iagellonica Cracoviae legit. – Domicilium: Kraków, ul. Warszawska 1 m. 2. Polonia.

Fons: Excerpta ex ‹Euphrosyne›, vol. II, Olisipone in Lusitania.

BRVNO, PETRVS: natus anno 1893 Vergis Gravinis (Italice: Roggiano Gravina) in provincia Consentina (Magna Graecia); honestarum litterarum doctor apud Pontificiam Scholam a Pio IX. In consilio est Commentariis moderandis, qui ‹Latinitas› inscribuntur, atque in Collegiis et Studiis Ciceronianis Incitandis et Studiis Romanis Provehendis. In Certamine Vaticano opus eius ‹De atomica vi ad artes honestas pacisque utilitates adhibenda› altero praemio, in Certamine Capitolino opus ‹De quibusdam huiusce Romae cauponis› magna laude ornatum est. Alia opera: ‹Ciceroniana›; ‹Olympia XVII Romae concertata›. Auctor est eques torquatus Mauritianus, eques Commendator ordinis S. Gregori Magni, denique a Praeside Italicae reipublicae diplomate exornatus est, quod viris humanis litteris bene merentibus dari solet. – Domicilium: Roma, Via Nicola Fabrizi 8. Italia.

Fontes: Palaestra Latina 172, 1960. – *Conatus atque Adumbratio Poesis*, Romae, 1957.

Ad *Olympia*, v. 49: cf. Vergilii Aen. 3, 694.

CIESIVLEVICZ, [DVNENSIS] ROMANVS: natione Polonus natus est patre paupere anno 1905 (turbido illo in Russia et Latvia), Rigae, ubi omnem aetatem varias inter nationes degit. Hic scholas frequentabat et Universitatem Rigensem finivit. Hic ipse iam longe magister in ludis Rigensibus (interdum in universitate), nunc in scholis medicinae Latinitate ex gymnasiis sublata linguam Latinam docet.

Ad *Sigulda:* ‹Hoc carmen filio meo Leopoldo, discipulo scholae pictorum, et Siguldae, pulcherrimo loco in Latvia, dico.

Sigulda spectat in septentrionem et orientem solis ab urbe Riga, a qua circiter triginta sex milia passuum distat. Ad ripas fluvii Gauiae colles sunt, quorum unus Sigulda nominatur, ubi olim sedes Livorum erat, tum in initio saeculi XIII Ordo fratrum militiae Christi castellum, cuius ruinae nunc spectare possumus, aedificavit.

Collis Turaedae et altior collis Crimulda sunt in dextra ripa fluminis Gauiae. Quibus in collibus saeculo XIII Albertus, episcopus Livonensis, castella aedificavit. Una turris in colle Turaeda hodie restaurata est.

Inter Turaedam et Crimuldam est celeber in Latvia specus Gutmani, ubi olim virgo integra Maia, castitatem suam servans, a milite libidine accenso et stulto necata esse dicitur. Quam fabulam, quae inscribitur «Amor morte validior», Rainis, clarissimus poeta Latvicus, scripsit. In regione Turaedae sepulcrum illius puellae nominatum «Rosa Turaedae» est› (annotatio auctoris).

COCHEZ, IOSEPHVS: natus 1884, mortuus 1956. A. Janssens illustri viro hoc epitaphium scripsit, quod positum est in sepulcreto abbatiae Parcensis iuxta Lovanium (Belgica): ‹Resurrectionem / hic exspectat / Ioseph M. Cochez / sacerdos / XXXIII / annos in Universitate Catholica / rerum Latinarum Professor / 1884–1956. Sapientiam Antiquorum / requiret sapiens / et in prophetis vacabit. Eccl. 39. I.

Aureus Sedis Sapientiae sol
luce dilectos satians in aevum

Te suum fidum repleat beatae
lumine pacis.

Fons: Latina, Lovani, 1954.

EBERLE, IOSEPHVS: natus Rottenburgi super Nicrum (olim Sumelocenna in Agris Decumatibus) anno 1901. Moderator ACTORVM DIVRNORVM STVTTGARDIENSIVM (‹Stuttgarter Zeitung›). Edidit complures libros: Carmina in sermone Suebico, ‹Interview mit Cicero›, ‹Stunden mit Ovid›, ‹Laudes – Carmina Latina›. Nova carmina sub titulo ‹Amores› hoc iam anno edentur aedibus Artemidos, Turici, Helvetia. Doctor philosophiae h.c. Universitatis Tubingensis. – Domicilium: Stuttgart-Frauenkopf, Rosengartenstrasse 9. Germania.

Fons: Laudes, Tubingae, 1959.

Ad *Naso mentitus est* v.4: ‹remedia morbi› significat Ovidii carmen didacticum ‹Remedia amoris›, quod auctor in Germanicum convertit.

FICARI, QVIRINVS: natus Faliscoduni (Italice: Montefiascone), Etruriae *in* oppido *in* conspectu Volsiniensis lacus sito, anno 1881; professor emeritus humanarum litterarum in publicis Lycaeis. – Domicilium: Pesaro, Via G. Postumo 72. Italia.

Fons: Carmina, Pisauri, 1938.

Ad *Faliscoduni oppidi vertex: Faliscodunum Volsiniensi* imminens *lacui* (Lago di Bolsena); v.11: *Amalasuntha* (Amalaswintha), filia Theodorici, regis Ostrogothorum, in insula lacus illius interfecta et sepulta anno 534.

FRAENKEL, IOSVA IOANNES: natus anno 1913 Traiecti ad Rhenum (Batave: Utrecht); praeceptor Gymnasii Hilversumensis docet disciplinas Graecas et Latinas. Composuit specimen inaugurale, cui titulus ‹Hybris› (1941), ‹A Question in Connection with Greek Particles› (1947), ‹De verhouding van Leerling en Meester› (1947), ‹De Thebaanse tragedies van Sophocles› (1948); versionem Batavam Menandri fabulae ‹Dyscolos› edidit anno 1961. – Domicilium: Hilversum, Blijdensteinlaan 6. Hollandia.

Ad *Ludi scaenici* v. 3, ‹Gooilanda›: regio Batava, in qua Hilversum sita est. – v. 14, ‹Vulpius›: nomen alumni, qui praeerat discipulorum consortio.

Ad *Querela* v. 17: cf. Erasmum in Colloquiis. ‹Iuvenis: Quam igitur mentem habent isti, qui haec studia linguis traducunt suis? – Echo: Suis.› (Annotatio auctoris.)

GAERTNER, IOANNES ALEXANDER: natus anno 1912 in Berlin-Lichterfelde et eruditus ibidem in Gymnasio Schilleriano atque in Universitatibus Berolinensi et Heidelbergensi dein, anno 1936, dignitatem doctoris theologiae Universitatis Heidelbergensis adeptus eodem anno in Americam Australem emigravit et inde anno 1945 in Americam Septentrionalem, ubi nunc docet historiam artis et architecturae in Collegio Lafayettensi urbis Easton civitatis Pennsylvaniae. In lucem dedit varia scripta de problematibus aestheticis et philologicis ac libellum carminum Latinorum, qui *Vox Humana* inscribitur. – Domicilium: 228 McCartney Street, Easton, Pa. USA.

Fons: Vox Humana. Stinehour Press, Lunenburg, Vermont, 1954.

GALANTE, HIPPOLYTVS: natus anno 1892 Romae. In Universitate Romana doctor litterarum anno 1915 renuntiatus per quadraginta fere annos in Ministerium, quod vocant Relationum Exterarum, cooptatus, mores multorum hominum cognovit et urbes peragrando vidit (Chile, Perù, Civitates Foederatas Americae, Sueciam, Hispaniam, Lusitaniam, Indiam etc.); nunc in Universitate Romana glottologiam praecolumbianam profitetur, ita tamen, ut quodcumque temporis a publicis domesticisque vacat officiis, id totum in classicarum litterarum studia summa cum voluptate conferat. – Domicilium: Roma, 3 Via Rovigo. Italia.

Fontes: Saniucta, Romae, 1957. – *La Cultura nel Mondo,* m. Febr. 1958: India. Incontro di due civiltà. – *Latinitas,* 1958.

Ad *Saniucta:* carmen epicum de funesto Priti et Saniuctae, principum Indicorum, amore; opus Cardinali Caietano Ci-

cognani dedicatum tres libros (2500 fere hexametros) complectitur.

Ad *Gandhi:* lapis cum hac inscriptione (una cum Sanscritica et Hindica versione) ‹die 27 m. Augusto anno 1956 in foro maximo urbis Delhiensis apud Indos summa caeremonia ... inauguratus est› (I. Ijsewijn-Jacobs).

Ad *Inscriptio in aëroportu Romano:* insculpta in basi statuae Leonardi da Vinci in aëroportu Fiumicinensi Romae.

GENOVESI, VICTORIVS: natus in oppidulo c.n. Roccabascerana provinciae Abellini in Hirpinia anno 1887; adulescens ingressus est in Societatem Iesu anno 1901, in eaque humanioribus sacrisque litteris operam dedit, quibus absolutis Philosophiam Scholasticam alumnos Ordinis sui docere coepit; sed exorto bello anno 1914 sub signa vocatus est. Post bellum Romae libris apologeticis atque asceticis edendis, ac per totam Italiam sacris contionibus habendis incubuit. Identidem, subsecivis horis, delectationis causa, Musae quoque Latinae indulsit atque ad Certamen Hoeufftianum Amstelodamense carmina misit. Ter ibi aureo numismate decoratus est atque octies magnam meruit laudem. In Certamine quoque Ruspantiniano poeseos Latinae a Studio Urbis proposito bis consecutus est primum praemium; ac denique in certamine prosae orationis Latinae ab Instituto Romanis Studiis Provehendis, XXVII anno Centenario ab u.c. recurrente, praemio ‹Urbis Romae› honestatus est. Anno 1942 a Pio XII i.m. Hymnographus S. Rituum Congregationis renuntiatus est. – Domicilium: Roma (238), Via degli Astalli 16. Italia.

Fons: Carmina. Curante Instituto Romanis Studiis Provehendis. Roma, 1959.

Ad *Dirae in Urbis Strepitus*, v. 83, cf. Plinius, nat. hist. VIII 43, 68.

GÖTTE, IOANNES: *natus anno 1907* Merlsheimii, in Guestfaliae provinciae viculo quodam. Per viginti tres annos Berolini pueros docet litteras et Latinas et Graecas, ab anno 1946 hoc munere fungitur in St. Canisii Collegio Berolinensi. – Domicilium: Berlin-Wilmersdorf, Ahrweiler Strasse 9 IV. Germania.

Ad *Meditatio ...:* Werner Bergengruen, poeta Germanicus, natus anno 1892 Rigae, habitat in Baden-Baden.

Ad *Duorum amicorum epistolae:* ‹Ad initium primae epistulae recte intellegendum praemittuntur pauca de praeprimis, ut ita dicam, litteris: Wenn keine Nachricht mehr von Euch kommt, so sehen wir Euer Schweigen nach dem Mustersatz «cum tacent, clamant: veniemus, celebrabimus, bibemus» als volle Zustimmung an› (auctor). Heribertus ille, qui respondet, noster poeta H. Hohensee est.

Ad *epistolam primam:* Ioannes multis de causis constituerat, sibi vino et sicera esse abstinendum.

Ad *epistolam secundam* (v. 4): ‹ius malorum› ioci causa pro Germanico ‹Apfelsaft› usurpatur.

GRAVES, ROBERTVS: poeta Anglicus, anno 1895 Londinii natus; nuper cathedraticus artis poeticae Oxoniensis electus. Centurio Britannicus in bello contra Caesarem Germanicum gesto quattuor annos complevit; die natali XXI, vulneribus confectus, ut mortuus publice defletus. Posthac disciplinae Anglicae breviter cathedraticus apud Aegyptios factus. XXXI annos apud Baleares in Deiae vico commoratus. Duas duxit uxores, e quibus gaudet tres filias, quinque filios ortos esse. – Domicilium: Canelluñ, Deya, Mallorca. Hispania.

Ad *Turdo merula:* ‹Verum est: carmina elegiaca scripsi compluria; semper tamen iocosa et fugacia, qualia reperire nequeo. Sola mihi haeret in memoria nenia quaedam ori merulae supposita› (auctor editori).

GROESSWANG, GVILELMVS: anno 1903 in oenopago Ried Austriae superioris natus litteris studebat in gymnasio veteris monasterii Cremifanensis et Vindobonae; anno 1933 in alma matre Rudolfina gradum doctoris utriusque iuris adeptus est. Deinde in iudiciis versatus per secundum mundanum bellum stipendia fecit; anno 1945 in patriam suam reversus est. Ex eo tempore fungitur munere cognitoris civitatis in cognitura urbis Ovilavae in Austria superiore. – Domicilium: Wels. Austria.

Ad *Iam alter vesper* (fragmentum): auctor editori scripsit: ‹Der Zweite Weltkrieg hatte mich ins Land der Mitternachtssonne – die Landser nannten es «podex mundi» – verschlagen. Heimatsehnsucht, Sehnsucht nach Licht und Sonne und die Angst, völlig zu versumpfen, zwangen mich zum Schreiben. Ich tat es in Latein wegen meiner österreichischen Herkunft, denn die Herren von damals haben Latein nicht so recht verstanden ...›

HERRLE, THEODORVS: natus anno 1888 Lipsiae; litteris humanioribus, Germanicis Francogallicis atque historicis studuit in Universitatibus Monachii, Berolini, Lipsiae; Dr. phil.; magister, deinde director studiorum in gymnasiis Lipsiensibus et professor litterarum Latinarum in Universitate huius urbis: anno 1950 in Arcem Luporum demigravit. Edidit multa opera ad humaniorum doctrinam rationem, educationem pertinentia. – Domicilium: Wolfsburg, Buchenpfad 2. Germania.

HOHENSEE, HERIBERTVS: natus Berolini anno 1907; studiis Berolini et Bonnae rite perpetratis magister ad scholam rediit, ut pueros in elementis Latinis vel Graecis vel gymnastica arte erudiret. Quomodo in gymnasiis humaniora coluntur, pridem deposuit in regula quadam Collegii Canisiani Berolinensis. Alia scripta: ‹The Augustinian concept of authority› (New York 1954); ‹Exempla Latinitatis› (Frankfurt 1960). – Domicilium: Berlin-Lankwitz, Kaiser-Wilhelm-Strasse 135. Germania.

HVLTON, A. O.: in Universitate Oxfordiensi eruditus nunc linguarum classicarum lector in Universitate Sheffieldensi. Anglia.

Fons: Vita Latina, 12, 1961.

HVMBERTVS A FLORENTIA (Umberto Degl'Innocenti): natus Florentiae anno 1902. Ordinis Praedicatorum alumnus et sacerdos. Philosophiae professor Romae in Pontificiis Universitatibus de Propaganda Fide et Lateranensi. – Domicilium: Roma, Piazza della Minerva 42. Italia.

Fons: Latinitas, 1955, 1957, 1958.

JOHNSON, VAN LORAN: natus anno 1908 in oppidulo Medford reipublicae Wisconsinensi; hodie incolit oppidum Medford reipublicae Massachusettensi, ubi munera curat professoris linguarum antiquarum et praefecti partium Classicarum in Universitate Tuftensi. Olim praeses Societatis Classicae Americanae, scriba summus Instituti Archaeologici Americani, et scriba quaestorius Societatis Classicae Novae Angliae; scripsit duos libellos (*Tenuis Musa; Roman Origins of Our Calendar)*; transtulit in linguam Anglicam duas tragoedias Graecorum (Euripidis *Andromache*, Sophoclis *Electra*) atque composuit opuscula varia de fastis Romanis. Diplomata accepit ab Universitate Wisconsinensi et ab Universitate Oxoniensi. – Domicilium: Tufts University, Department of Classics, Cohen Arts Center, Medford 55, Mass. USA.

Fons: Tenuis Musa. Hodiernal Latin Verse. Published by the Department of Classics in Tufts University, Medford, Mass., 1960.

Ad *Convenimus hic:* ‹A Convention Song for the American Classical League; music: Welsh air «The Ash Grove»› (auctor). – Ad *Cantus hiemalis:* ‹Suggested by a medieval Spring Carol, the original lyric for Good King Wenceslas with Horatian echoes from odes I, 9 and IV, 7› (auctor).

LACOVRT, AEMILIVS: natus anno 1878 in Vosagensi civitate, quae Rambervillers vocatur; sexaginta annos discipulos docuit litteras Gallicas et Latinas et Graecas; scripsit sub nomine Aemilius Tourlac multa poemata Gallica et Latina. Ab Academia Gallica (‹Académie Française›) poetica corona bis donatus; ab Academia Regali Nederlandica maxima laude elatus pro poemate ‹Ad Vergilii sepulcrum›; ab aliis Academiis fere viginti coronis poeticis ornatus pro Gallicis poematibus. – Domicilium: Epinal (Vosges), 58, rue des Soupirs. Gallia.

Elegia nostra e longiore poemate eiusdem tituli excerpta est.

LEE, ARTVRVS GVIDO: natus Londinii anno 1918. Socius et praelector Collegii Divi Ioannis Evangelistae in Universitate

Cantabrigiensi. Edidit scholarum in usum Ovidii *Metamorphoseon* librum primum, Ciceronis *Paradoxa Stoicorum*. – Domicilium: St. John's College, Cambridge. Anglia.

Fons: Latinitas, 1958.

LEHMANN-LEANDER, ERNESTVS: Schwerini, in urbe Mecklenburgii, natus anno 1902; Potsdupimi (Potsdam) educatus est ibique gymnasium frequentavit. Maturitate accepta Berolini et Heidelbergii studia linguarum antiquarum absolvit. Praeceptores eius inter alios fuerunt: U.v.Wilamowitz-Moellendorff, Ed. Norden, W. Jaeger. Deinde magister artium et educator fuit alumnorum almae matris Joachimicae Templini. Tum, ut patriam defenderet, invitus ad arma vocatus est. Secundo mundi bello confecto cum uxore liberisque fugit Flensburgium, qua in urbe adhuc vivit discipulosque Gymnasii veteris ad veram ducere conatur humanitatem. Nonnullas comoedias et ipse scripsit et alias Aristophanis, Menandri, Plauti in Germanicam transtulit linguam. – Domicilium: Flensburg, Am Lachsbach 2. Germania.

Ad *Versus quassati:* Germanice ‹Schüttelreime›.

LENARD, ALEXANDER: natus anno 1910 Budapestini (Hungaria); Vindobonae et Romae nutriri ei contigit atque doceri; medicus, poeta, scriptor, interpres vitam egit. Scriptitavit carmina sermone Germanico; libros de re medica sermone Italico; tractatum medicum sermone Anglico; fabellas et carmina sermone Hungarico; postremo autem libellum illum Anglicum puerulis pergratum ‹Winnie ille Pooh› in Latinum convertit. Hoc opusculum a viris, qui ab humanitate habent nomen, ubivis cum gaudio acceptum nunc decies typis excussum est. Extra moenia mundi Brasiliae incola rusticos curat, res gestas scriptis mandat, summam aequo animo exspectat diem. – Domicilium: Blumenau, Caixa postal 691. Brasilia.

Fons: ‹*Asche*› (Cineres), carmina Germanice scripta. Romae 1949.

Ad ‹*Carminum dedicatio*›*:* ab auctore ipso e sermone Germanico in Latinum versum.

Ad ‹*Remedium*›: unica Latine condita stropha ex longiore Germanico carmine excerpta, cuius titulus ‹De retardanda senectute›.

LENZ, FRIDERICVS GVALTERIVS: natus anno 1896 Berolini, anno 1919 in Universitate huius urbis doctor renuntiatus linguam Graecam et Latinam docuit Berolini, in Westphalia, Florentiae, ab anno 1939 in Civitatibus Confoederatis Americae: primum in ‹Yales University› (New Haven), deinde (1945–1958) professor in ‹Southwestern University Georgetown› (Texas), nunc professor in ‹University of Texas› (Austin). Edidit multa opera Graeca et Latina in Germania, Italia, America, Hollandia. Socius moderator ephemeridis Catanensis, quae ‹Orpheus› nuncupatur. Auctor complurium carminum, fabellarum, narrationum. – Domicilium: 3201 Breeze Terrace, Austin 2, Texas. USA.

Fons: Vita Latina 6, 1959.

Ad *Loquitur voluptas ...*: ‹Poème inspiré, lors d'un récent voyage, par la statue de la Volupté, qui se trouve dans la cathédrale gothique de Fribourg, Allemagne› (annotatio auctoris).

LIBERTVS, ARMINIVS (Hermann Swoboda): anno 1873 Vindobonae natus, ibidem Dr. iuris et philosophiae promotus, postea professor psychologiae. Investigator vitae circulorum, renovator veteris doctrinae hebdomadon, auctor novae methodi geneticae humanae, praeterea translator epigrammatum V. Martialis. – Domicilium: Wien V, Schönbrunner Strasse 110. Austria.

LOPEZ-SOTO, VINCENTIVS: natus anno 1906 in Hispania, in urbe Pacis Augustae (Badajoz); operam disciplinae humanitatis et philosophiae in Collegio Serafico Sanctae Teresiae a Iesu, O.C.D. dedit. Linguam Latinam et Graecam in Lycaeis et Collegiis variis iuventutem docuit. In praesenti, suos labores in cinemate quodam urbis Barcinonis (Hispania) exercet, et, mente in iuventute et amicis Camenae Latinae fixa, ‹Novellam› quandam de vita hodierna Latine scribendam parat. – Domicilium: Barcelona, Montseny 13, II. Hispania.

Mangeot, N.: natus in urbe Saarlouis Germaniae anno 1889 et artium bonarum studium emensus anno 1908 ordinem S.I. est ingressus. Absoluto tirocinio philosophiae curriculo per triennium partes infirmarii in priore bello mundano explevit. Quo confecto linguas classicas in collegio Feldkirch (Austria) docuit. Deinde quinque annos in perdiscendis disciplinis theologicis consumpsit. Tum quamvis docendis litteris humanioribus destinatus temporibus ac rebus est factum, ut alia, quae in Societate Iesu sunt ministeria, susciperet. Versari solebat in concionatoris munere. Sed ut in puero ita in sene Latinitatis ardebat sitis. Munus eum diversis locis iubet morari. Nunc versatur in urbe Münster Guestfaliae. Germania.

Marqves Leite, Iosephvs Florentinvs: natus anno 1904 Flumine Ianuario, maxima Meridionalis Americae civitate. Latinae linguae atque Graecae ab ineunte aetate studuit, nunc concives eas docet multis locis, praesertim Flumine Ianuario. Scripsit complures commentationes ad grammaticam prosodiamque Latinam et Graecam pertinentes et est generalis moderator ephemeridis Brasiliensis, cuius titulus ‹Graeca et Latina›. – Domicilium: Rio de Janeiro, Caixa Postal 745. Brasilia.

Fons: Graeca et Latina (sine numero).

Mattingly, Haroldvs: anno 1884 Sudbury, Suffolk (Anglia) natus; eruditus in ‹Leys School›, ‹Gonville›, Collegio ‹Caius› Cantabrigiensi, cuius nunc membrum est; multis honoribus et praemiis ornatus. Litteris studuit in Universitatibus Friburgensi et Berolinensi. Doctor honoris causa Universitatis Novae-Zelandiae. Publicationes: ‹Catalogue of Roman Coins in the British Museum›, volumina quinque; ‹Roman Imperial Coinage› (una cum Sydenham aliisque editoribus), volumina novem; ‹Roman Imperial Civilization›, etc. – Domicilium: Chesham, Buckinghamshire, 9 Missenden Road. Anglia.

Fons: Greece and Rome, Oct. 1960.

Menna, Pavlinvs: natus anno 1889 Nolae (in Campania); ab ineunte aetate, studiis peractis, admodum adulescens militiae

Christi vacans a. 1905 sacerdos fuit. In Athenaeo Neapolitano doctoris gradum magisteriique diploma adeptus litteris Latinis Graecisque tradendis doctor. Multa praemia et laudes tulit in Latini sermonis certaminibus (ab Accademia Italica a. 1937; ab Romanorum Studiorum Instituto a. 1939; in aedibus Capitolinis a. 1954). Non multum Camenae indulsit. Abhinc duos annos insigne pontificum donatum est ei. – Domicilium: Nola (Napoli), Via Circumvallazione 50. Italia.

MERONE, AEMILIVS: agit quadragesimum quintum annum; natus est habitatque in urbe Sancta Anastasia; litteras Graecas et Latinas docet in Collegio Militari Neapolitano, quod ‹Nunziatello› nominatur; docet grammaticam Graecam et Latinam in Athenaeo Neapolitano; edidit ‹Helenor – Nugae› (Napoli 1942); ‹Carmina› (Napoli 1947); ‹Aprici flores› (Napoli 1950); ‹Hendecasyllabi› (Napoli 1955). – Domicilium: Sant'Anastasia, Napoli. Italia.

Fons: Munuscula Musae, Napoli, 1959.

Ad *Villa Atestina* (Villa d'Este) v. 14–16: ‹Si accenna alla composizione di F. Liszt intitolata Giuochi d'aqua a Villa d'Este› (auctor).

MEVNIER DE SOLENGIACO (Gallice: de Soulangis), IOANNES IACOBVS GVILELMVS: natus anno 1914 in provincia Bituricensi Galliae prope Avaricum (Bourges), in parochia, cuius antecessores eius fuerunt domini abhinc saec. XII. A pueris Lutetiae Parisiorum educatus et, postea, alumnus in Facultate Medicinae, doctor factus est anno 1939. Post novissimum bellum artem medici excoluit prope Lutetiam et Castri-Radulphi. Gallice aliquot conscripsit libellos de genealogia, historia provinciae, philologia, etc. – Domicilium: Châteauroux (Indre), 4, avenue de la Gare. Gallia.

Fons: Vita Latina 5, 1958.

Ad *Cyrnus* (Graece: Kyrnos): Corsica.

MORABITO, IOSEPHVS: natus Rhegi Iul. anno 1900; linguam Latinam et Graecam multos iam annos docet Messanae; Latinos

versus scribere coepit anno 1925; annis sequentibus in certamine Locris in Brutiis constituto nonnullae laudes ei tributae sunt. In *Certamine Hoeufftiano* Amstelodami undecim magnas laudes rettulit et unum praemium (1954); bis Romae propter prosam orationem praemium primum et six laudes ei tributae sunt. – Aliis ex linguis multa carmina in Latinos versus transtulit. – Domicilium: Messina, Via T. Cannizzaro 206. Italia.

Fontes: Dies Catanenses. Messina, 1955. – *Palaestra Latina* 157, 1957. – *Latinitas*, 1960.

NEWMAN, I.K.: natus anno 1928; post studia in St. Bede's Grammar School, Bradford, perfecta anno 1946 in matriculam Universitatis Oxoniensis relatus; in Collegio Exoniensi ei linguarum antiquarum praeceptor constitutus est vir doctissimus E. A. Barber. Anno 1950 ad gradum Artium Baccalaurei in litteris humanioribus admissus ad studia Slavonica se contulit et anno 1952 ad gradum Artium Baccalaurei in lingua Russica accessit. Deinde ludi magister factus est, primo in Collegio, quod gubernant patres Soc. Iesu in Liverpool, postea a patribus Benedictinis vocatus est, ut in eo ludo, qui Abbatiae de Downside est, linguas antiquas doceret. In Certamine Vaticano tertio anno proximo alterum praemium tulit. – Domicilium: Downside School, near Bath. Anglia.

Ad *Circus pagum visit:* hoc carmen ‹leviore stilo galliambis qui vocantur condidi, quem versum sacravit Catullus, nemo deinde classicorum quod sciam imitatus est› (annotatio auctoris).

Ad *Germaniae redivivae:* ‹si litteras Latinas iterum florere cupimus, e viva materia petenda sunt exempla› (annotatio auctoris).

NVRVS, C. ARRIVS: nomen, quod sibi adicere solet, cum Latine scribit *Harry C. Schnur* qui, hoc saeculo annis septem minor Europaeus origine, nunc Civitatum Foederatarum Americae Septentrionalis civis, Latinitatem profitetur in Academia Ionensi Neo-Rupelensi prope Novum Eboracum sita. Poema eius ‹Iter ad Septentriones› in certamine Hoeufftiano anni 1961 praemio

coronatum est. Carmina eius collecta propediem edentur sub titulo ‹Pegasus tolutarius›. – Domicilium: Iona College, New Rochelle, New York. USA.

Fontes: The Nugulae of C. Arrius Nurus ad editorum usum iterum recensuit apparatuque critico eruditissimo necnon scholiis perdoctis exornavit *Harry C. Schnur*, New York 1957. – *Vita Latina*, 9, 1960.

Ad *Ad Ovidium*, v. 5–6: ‹A «cri de cœur!» The author rebels against the monotony of the Ovidian pentameter ending. The Greeks did not care, Catullus did not bother – why should he pass up a fine, rolling cadence like line 6? Besides, it's easier› (auctor).

Ad *Roma*, v. 13 ‹quod hospitium›: ‹Deversoriolum clamosum sordidulumque / quodque situm in vico, qui fert a vimine nomen› (auctor).

Ad *Lugano*, v. 25 ‹diva›: Roma, cf. carmen praecedens.

PAOLI, HVGO HENRICVS: natus Florentiae anno 1884; discipulus Hieronymi Vittelli Universitatis Florentinae; deinde per multos annos litteras Graecas et Latinas professus est. Anno 1938 professor ordinarius litterarum Latinarum in Universitate Genuensi renuntiatus paucos post annos cathedram huius disciplinae Florentiae occupavit. Eodem tempore, quo Genuae et Florentiae docuit, cursus de iure Attico in Universitate urbis Romae multisque aliis Universitatibus Europae habuit. Sodalis est plurium Academiarum, doctor utriusque iuris honoris causa Universitatis Erlangensis, multosque alios honores adeptus est. Opera principalia: ‹Studi di diritto attico› (1930), ‹Studi sul processo attico› (1933), ‹Vita Romana› (1940), ‹Uomini e cose del mondo antico› (1941), ‹La donna greca nell'antichità› (1953). Praeterea nonnulla alia opera edidit, Guilelmi Busch ‹Max und Moritz› et ‹Bilderbogen› atque Henrici Hoffmann ‹Struwwelpeter› in versus Latinos transtulit. Carmina eius Latina collecta proxime in lucem edita sunt (Felice Le Monnier, Florentia). – Domicilium: Firenze, Piazza San Felice 8. Italia.

Ad *Litterarum variationes:* solutiones: I sol – sal; II lacus – lucus; III ara – ira; IV anus – onus; V pus – pes; VI luna – lana; VII nix – nux; VIII humus – hamus; IX rus – mus – tus – sus.

PAOLILLO, MATTHAEVS: natus Luceriae, in nobili Apuliae urbe, anno 1915, docet litteras Latinas et Graecas in Lycaeo Clavarensi, in Liguria. Inter carmina eius Latina, quae in *Certamine Hoeufftiano* Amstelodami magna laude ornata sunt, etiam *Portus* est, quod in nostro libro invenitur. – Domicilium: Via Trento 6/7, Chiavari (Genova). Italia.

Fons: Elegi, Clavarii, 1948.

PASQVALETTI, OLYNDVS: natus anno 1916 Auphidae (Italice: Offida) in Piceno; doctor renuntiatus Mediolani in Athenaeo Catholico, nunc ibidem ad discipulos lingua Latina imbuendos adscitus, interim per 20 iam peractos annos Latinas Graecasque litteras ephebos docere numquam intermisit Varalli ad Sesitem in provinciae Vercellensis oppidulo, domicilio usus. E *Certamine Vaticano* bis publica laude, semel praemio ornata carmina itemque e *Certamine Hoeufftiano* Amstelodami bis magnam laudem accepit. – Domicilium: Missioni Consolata, Liceo Classico, Varalla Sesia (Vc). Italia.

Fons: Latinitas, 1954.

Ad *Quidam per nives ... conscendunt*, v. 15–20: ‹machinamentum describitur, quod vulgo dicunt «seggiovia»›. – v. 54–56: ‹res designatur, quae Anglica voce dicitur: «Skilift»›. – v. 58–61: ‹exercitatio significatur, quam Scandii appellant «slalom»› (annotationes auctoris).

PLASSMANN, CLEMENS: natus anno 1894 in Warendorf, Westphaliae; iuris atque rerum politicarum doctor; pridem socius praesidii Argentariae Germanicae (Deutsche Bank), nunc autem otio cum dignitate fruitur in domicilio suo: Düsseldorf 1, Königsalle 45. Germania.

Fontes: Chronogrammata et versiculi, Tübingen, 1949; *Altera Pars*, Tübingen, 1959; *Neujahrssprüche 1942–1955*, Krefeld, 1955.

Ad *Chronogrammata:* summa numerorum maiusculis scriptorum annum facit, de quo agitur.

POLIDORI, VINCENTIVS: natus anno 1876 Nizzae; in Universitate Bononiensi doctor renuntiatus; deinde professor litterarum Arretii. Scripsit multa opera ad litterarum et poesin pertinentia (de Mistral, Carducci, Fogazzaro, Sardou, Tolstoi, D'Annunzio, Manzoni, Dante, etc.); edidit complura volumina carminum Italicorum; vertit aliquot lyricos Italicos in Latinum et Lucretii poema ‹De rerum natura› in Italicum. Nonnulla carmina eius Latina in certaminibus praemiis digna iudicata sunt. – Domicilium: Arrezzo, Via A. Guadagnoli 99. Italia.

Fons: Prope sacellum Ioannis Pascoli ..., Amstelodami, 1937. Elegia nostra ex hoc carmine, quod in Certamine Hoeufftiano anno 1937 magnam laudem tulerat, excerpta est. Editor maxime gaudet nomen Ioannis Pascoli (1855–1912), lyricorum Latinorum (atque Italicorum) praeclarissimi, hoc modo his paginis inseri posse.

Ad versum 5: ‹Barga, oppidulum vineis oleisque redimitum paulo eminentiore desurgit ... Barga admodum cara tenero vati fuit. Vide blandulum carmen Pascoli cuius titulus «L'ora di Barga»› (annotatio auctoris).

SARMIENTO, RAIMVNDVS: natus anno 1914 Cordubae in Argentinia; plures annos litterarum Latinarum Villae Rosarii professor et dicendi Bonis Auris praeceptor, nunc ephemeridis, cui titulus ‹Reina y Madre›, moderator. – Domicilium: Buenos Aires, Constitución, 1077. Argentina.

Fons: Palaestra Latina 171, 1960.

SCHADEWALDT, VOLFGANGVS: natus anno 1900 Berolini; professor litterarum Graecarum et Latinarum in Universitate Tubingensi; edidit multa opera ad litteras Graecas pertinentia et ad earum apud Goethe et Hölderlin auctoritatem; insignis studiis suis de Homero et tragicis Graecis; complures tragoediae ab eo in Germanicum conversae in scaenam productae sunt; con-

vertit etiam Odysseam in solutam orationem Germanicam. – Domicilium: Tübingen, Neckarhalde 58. Germania.

SCHMIDT, BENEDICTVS: natus anno 1900 in regione Saravi, in oppido, quod Illingen appellatur. In seminarium inferius Societatis Verbi Divini ingressus in sacris aedibus huius societatis sacerdotio initiatus et anno 1927 in Insulas Philippinas missus est. In his torridis plagis 23 annos evangelii praeconis est munere functus. Aliquot annos ibidem linguam Latinam et Graecam docuit. Anno 1950 adversa coactus valetudine in patriam revertit. Viribus tamen Kneippiana quam vocant curatione quadamtenus refectis denuo scholas Latinas et Graecas tradendas suscepit, memoria tenens illud senis cuiusdam curionis, qui monuit: Si iuvenescere vis, libros tibi sume Latinos! – Domicilium: St.Wendel (Saar), Missionshaus. Germania.

Ad *Ode ad urbem Woerishofen:* Oppidulum Bavariense notum curationibus aquosis, quas Sebastianus Kneipp, parochus, invenit et ibi instituit.

SCHMIED, OTTO: natus anno 1887 in Austria inferiore; eruditus in Gymnasio Nicolsburgiensi atque in Universitate Vindobonensi; Vindobonae professor antiquarum linguarum ac superior director studiorum fuit; hodie Viruni (Klagenfurt) otium peragit. Ante alterum bellum mundanum Vindobonae complures ad Latinitatem pertinentes libellos edidit; ex aliquot annis carmina Latine Graeceque versa ac propria publicat (‹Carmen campanile›, ‹Max et Moritz›, ‹Plix et Plum›, ‹Carmina Latini laeti›, multa alia). – Domicilium: Klagenfurt, Linsengasse 112. Austria.

Aenigmatium solutiones: I manus; II miles – limes; III magis – ter – magister.

SMERDEL, ANTONIVS: natus anno 1904 natione Croata ex Federata populari republica Iugoslavia. Professor linguae Graecae et Latinae, nunc vivit Zagrabiae. Scripsit complura opera poetica et prosaica sermone patrio usus. Praeterea in linguam maternam Croaticam poemata multorum lyricorum Graecorum transtulit et in lucem edidit. Scripsit carmina Latina et multa

commentaria disputatiunculas in comm. Iugoslavicis, quibus est titulus Živa Antika (Antiquitas Viva). Mox in lumen liber eius carminum Latinorum *Urna Parcarum* prodibit. – Domicilium: Zagreb I, Belostenčeva ul. 6. Iugoslavia.

STEINBERGER, HERMANNVS: natus anno 1885 Monachii (Bavaria); studuit litteris humanioribus et historicis, deinde philologiae Romanicae et Anglicae in Universitate Monacensi; doctor renuntiatus anno 1912; professor in gymnasiis. Pervulgavit multa carmina Latina in ephemeridibus, quorum tituli ‹Societas Latina› (Monachii) et ‹Der Schlern› (Bauzani). Otio nunc fruitur in domicilio: München 19, Lachnerstrasse 4. Germania.

Ad *Farcimen Album:* Germanice ‹Weisswurst›, i.e. genus farciminis Bavarici, imprimis Monachii proprium.

Ad *Pereant frigora:* 3, 3–4: secundum proverbium Germanicum: ‹Mattheis bricht 's Eis› (festum S. Matthiae Apostoli d. 24. m. Febr.).

TVSIANI, IOSEPHVS: natus Sancti Marci in Lamis in provincia Fodiae (Italia) anno 1924. Annum aetatis vicesimum tertium agens, litterarum doctor a Rectore Fredericianae Universitatis declaratus est Neapoli. In Americam anno 1947 a patre vocatus, litteras Italicas in studiorum Universitate Sancti Vincentii ad Montem docere coepit Novi Eboraci. Complures, praecipue in Anglica lingua, libros scripsit, quorum notissimus est, qui *The Complete Poems of Michelangelo* inscribitur. Eius Anglica poemata Praemio Greenwood anno 1956 digna ab Anglica Poetarum Societate iudicata sunt. – Domicilium: 553 East 188th Street, New York 58, N.Y. USA.

Fons: Melos cordis, Venetian Press, New York, 1955.

Ad *Una donatur:* ne lector carminis forma decipiatur: versus more rhythmico legendi sunt: ‹Heu, timeo›, auctor editori scripsit, ‹ne Latinitatis cultores me nullius sapphicae quantitatis peritum credant›; ideo ‹Rhythmis› insertum est.

WELLER, HERMANNVS: natus anno 1878 in Suebica Gamundia (Germanice: Schwäbisch Gmünd), obiit anno 1956 Tubingae,

ubi in Universitate per multos annos professor philosophiae et poesis Indicae fuerat. *Carmina* eius sumptibus H. Laupp iunioris Tubingae edita (editio secunda 1956) complectuntur cum complura alia, tum tredecim poemata in *Certamine Hoeufftiano* Amstelodamensi aureo praemio ornata et illa, quae magnam laudem tulerunt. – Domicilium: Parnasus Latinus.

WIESMANN, PETRVS: natus anno 1904 in oppido, cui nomen est Herisau (Helvetia). Ex quo die anni 1928 Universitas Turicensis doctoris philosophiae dignitatem ei detulit, Curiae Raetorum discipulos elementa linguae Latinae docet in collegio cantonali, cui hoc tempore rector praeest. Convertit fabellas illas iocosas Doctoris Henrici Hoffmann, quae sub titulo Germanico ‹Der Struwwelpeter› cunctis pueris notae sunt, in lepidos versus Latinos. – Domicilium: Maienweg 12, Chur, Graubünden. Helvetia.

En Guilelmi Busch et Christiani Morgenstern Germanice scripta verba:

Es flog einmal ein muntres Fliegel
zu einem vollen Honigtiegel.
Da tunkt es mit Zufriedenheit
den Rüssel in die Süssigkeit.
Nachdem es dann genug geschleckt,
hat es die Flüglein ausgestreckt
und möchte sich nach oben schwingen.
Allein das Bein im Honigseim
sitzt fest als wie in Vogelleim.
Nun fängt das Fliegel an zu singen:
Ach, lieber Himmel, mach mich frei
aus dieser süssen Sklaverei!

Ein Freund von mir, der dieses sah,
der seufzte tief und rief: Ja ja!

WILHELM BUSCH: *Kritik des Herzens* (Censura Cordis).

CHRISTIAN MORGENSTERN: PALMSTRÖM

Palmström steht an einem Teiche
und entfaltet gross ein rotes Taschentuch:
Auf dem Tuch ist eine Eiche
dargestellt, sowie ein Mensch mit einem Buch.

Palmström wagt nicht, sich hineinzuschneuzen.
Er gehört zu jenen Käuzen,
die oft unvermittelt – nackt
Ehrfurcht vor dem Schönen packt.

Zärtlich faltet er zusammen,
was er eben erst entbreitet.
Und kein Fühlender wird ihn verdammen,
weil er ungeschneuzt entschreitet.

Alle Galgenlieder (Cantica ex patibulo canenda). Insel-Verlag, Wiesbaden, 1951.

CHRISTIAN MORGENSTERN: DER LATTENZAUN

Es war einmal ein Lattenzaun,
mit Zwischenraum, hindurchzuschaun.

Ein Architekt, der dieses sah,
stand eines Abends plötzlich da –

und nahm den Zwischenraum heraus
und baute draus ein grosses Haus.

Der Zaun indessen stand ganz dumm,
mit Latten ohne was herum.

Ein Anblick grässlich und gemein.
Drum zog ihn der Senat auch ein.

Der Architekt jedoch entfloh
nach Afri- od- Ameriko.

Alle Galgenlieder (Cantica ex patibulo canenda). Insel-Verlag, Wiesbaden, 1951.

TITVLI ET INITIA CARMINVM

[M = metra, R = rhythmi]

INDEX

TYPOGRAPHIE: BENTELI AG · BERN-BÜMPLIZ
PRINTED IN SWITZERLAND

L poetae viventes e XVII nationibus hoc libro Camenae serviunt. Argumenta carminum tam varia sunt quam vita ipsa: omnia, a rebus mythologicis usque ad harpasti ludum, a prudentia Horatiana usque ad curationem Kneippianam, a bucolicis usque ad strepitum autocinetis effectum, hic serio aut iocose, granditer aut leviter tractantur. Una autem res cunctos quamvis diversos poetas coniungit: omnes sibi conscii sunt se heredes et cultores esse idearum et virtutum, quae sub signo Latinitatis Occidentem formaverunt quaeque etiamnunc valent.

---

50 lebende Dichter aus 17 Nationen huldigen in diesem Buch der lateinischen Muse. Die Stoffe ihrer Gedichte sind so bunt wie das Leben selbst: alles, von der Mythologie bis zum Fußballspiel, von horazischer Lebensweisheit bis zur Kneippkur, vom ländlichen Idyll bis zum Autolärm, wird hier ernst und heiter, pathetisch oder verspielt behandelt. Eines aber verbindet alle die so verschiedenartigen Dichter: das allen gemeinsame Bewußtsein, Erben und Pfleger von Ideen und Lebenskräften zu sein, die im Zeichen der Latinität das Abendland geschaffen haben und heute noch wirksam sind.

---

50 living poets from 17 nations pay in this book hommage to the Latin Muse. The topics of their poems are as manifold as life itself: everything from mythology to football, from Horatian philosophy to a Kneipp cure, from bucolics to the noise of motor cars, is here dealt with, seriously or gaily, pathetically or playfully. One thing, however, connects those different poets: the consciousness common to all of being inheritors and trustees of ideas and virtues that, in the form of Latinity, created the Occident and are still efficient.

---

50 poètes vivants de 17 nations y offrent leurs hommages à la Muse Latine. Les sujets de leurs poèmes sont aussi variés que la vie elle-même: tout, de la mythologie au football, de la philosophie Horatienne à la cure à la manière de Kneipp, de l'idylle boucolique au vacarme des automobiles, tout y est traité pathétiquement ou en badinant. Une chose pourtant unit tous ces différents poètes, c'est la conscience commune à tous d'être les héritiers et les gardiens des idées et des forces, qui, sous le signe de la Latinité, ont créé l'Occident et qui sont toujours efficaces.

In questo libro 50 poeti vivi di 17 nazioni rendono omaggio alla musa Latina. Gli oggetti dei loro poemi sono misti come la vita stessa: dalla mitologia fino al giuoco del calcio, dalla sagezza Oraziana fino alla cura di Kneipp (all'idroterapia), dall'idillio campestre fino al chiasso degli automobili, tutto è trattato serio o sereno, patetico o leggero. Ma c'è una cosa che unisce tutti quei poeti così differenti: il sapere, comune a tutti, di essere eredi e curatori di idee e potenze che hanno creato l'occidente nel segno della Latinità e che sono attivi ancora oggi.

Czterdziestu sześciu współczesnych poetów z szesnastu krajów hołduje w tej książce muzie łacińskiej. Tematy ich wierszy są różnobarwne jak samo życie: od mitologii do gry w piłkę nożną, od mądrości życiowej Horacjusza do kuracji Kneipp'a, od sielanki wiejskiej do zgiełku samochodowego zostały poważnie lub wesolo, patetycznie lub zalotnie i lekkodusznie opracowane. Tych tak różnych w ich rodzaju poetów mimo wszystko jedno łączy: poczucie, iż są dziedzicami i kustoszami tych myśli przewodnich i tych sił żywotnych, które pod znakiem łacinnictwa tworzyły świat Zachodu i które nadal nań oddziaływują.

Nêste livro 50 poetas viventes de 17 nações prestam homenagem à musa latina. Os assuntos das suas poesias são tão coloridos como a própria vida; desde a mitologia até ao jôgo de futebol, desde a filosofia horaciana até à cura à maneira de Kneipp, desde o idílio bucólico até aos ruidos dos automóveis, aqui tudo é tratado duma forma séria e alegre, patética ou ligeira. Uma coisa, no entanto, reune todos êstes poetas tão diferentes, é a consciência comum em ser herdeiros e cultivadores de sentimentos e duma vitalidade que por baixo do signo da latinidade têm criado o ocidente e que ainda hoje continua a ser eficaz.

---

50 ныне еще живущих поэтов 17 различных наций воспевают в этой книге латинскую музу. Содержание их стихотрорений пестро как сама жизнь: все, начиная с мифологии вплоть до футбола, от жизненной мудрости Горация до Кнейповской методы лечения, от природной идиллии до автомобильного шума — все это излагается тут либо серьезно, либо шуточно, либо патетически, либо запросто. Но одно об'единяет всех этих разнародных поэтов: радостное сознание быть наследниками и хранителями идей и жизненных сил, которые в образе Латинизма создали европейский мир и действуют и поныне.

En este libro 50 poetas vivientes de 17 naciones rinden homenaje a la musa Latina. Los temas de sus poesías son tan diversos como la vida misma: desde la Mitología hasta el juego de fútbol, desde la horaciana sabiduría de la vida hasta la cura a la manera de Kneipp, desde el idilio bucólico hasta los ruidos de los autos, todo aquí es tratado en una forma seria o alegre, patética o ligera. Pero un factor reune a todos los diferentes poetas: su idea común, el ser herederos y cultivadores de unos mismos sentimientos y fuerza espiritual, que, bajo el signo de la Latinidad, han creado el Occidente y todavía están vivos.
